OPINIONES
HOMERI ET TRAGICORUM GRAECORUM
DE INFERIS
PER COMPARATIONEM EXCUSSAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORG IWANOWITSCH

BORUSSUS ORIENTALIS.

BEROLINI 1894.

S. CALVARY & Co.

Berolini, Typis Hans Mamroth.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

DR. PHIL. ET IUR. IVANO DE MÜLLER

PROF. PUBL. ORD. IN UNIVERSITATE LITTERARUM MONACENSI

PROF. HENRICO KRIEG

A CONSILIIS SUPERIORIBUS REGI SAXONUM REGII INSTITUTI TACHYGRAPHICI DRESDENSIS PRAESIDI

D. D. D.

AUCTOR.

Heracliti illud „πάντα ῥεῖ“ ad religionem Graecorum praecipue esse referendum quisquis vel exiguum in antiquitatem cognoscendam studium contulerit facile intelleget eoque minus mirabitur, quia continua quaedam commutatio in polytheismi natura haeret. Nam cum ne eae quidem religiones, quibus divinitus imbuti sunt homines, omnem tollant interpretandi diversitatem, quamvis dogmatis nitantur et originis sanctitate et librorum canonicorum auctoritate stabilitis, cui rei documento sunt confessionum quae vocantur sectarumque varietates: qui fieri posse putabimus, ut quae carent illis monotheismi vinculis firmamentisque religiones non recipiant philosophorum contemplationes atque investigationes, non commutentur in saeculorum serie cum populi moribus, mente, ingenio, quippe quibus efficiantur?

Imprimis autem illius commutationis condicionibus religionum subtilissimas et gravissimas quasque quaestiones affici in promptu est, utpote quae aut neglegantur aut premantur, in hunc vel in illum modum solvantur pro temporum voluntate, ratione, studiis. Itaque nobis, qui in veterum de eiusmodi quaestionibus sententia aperienda plerumque facere non possumus, quin ex vagis variisque scriptorum opinionibus magis quam ex rebus ipsis iudicium repetamus, eo difficilius est exquirere, quid senserint non singuli uno aliquo tempore sed universus populus certa et determinata aetate.

Quarum difficilium quaestionum in numero mihi habenda esse videtur ea, quae versatur in relatione inter vitam et mortem intercedente, cuius cognitione haud scio an nulla gravior sit et quae summo appetatur studio dignior, praesertim cum

de tota religione iudicari possit ex ea una relatione, id quod fecerunt *Lessingius*[1]), *Schopenhauerus*[2]), alii. Ac profecto ea, quae de mortis vi naturaque et de mortuorum condicione docet aliqua religio, si non obrussa, qua quanti aestimanda sit cognoscatur, tamen rationis eius indicium esse putanda sunt. Quoniam enim vitae, in qua ut in principali fundamento posita est rerum humanarum summa, nunquam non mors imminet funditus radicitusque tollens omnia ac negans, uniuscuiusque religionis est quodammodo tutam praestare vitam ab illo instante periculo[3]) vel ita, ut vim et momentum mortis summa exsistentiae ad vitam ipsam referenda quam maxime minuat, vel vitae miseriis ne id fiat impedientibus eo modo, ut gravitatem et terrorem eius mitiget leniatque exspectatione vitae futurae concitanda. Nequo vero casu vel ad arbitrium decernitur, quomodo frangat religio vim mortis propendentem, sed sive ex popularibus profecta est persuasionibus sive per interpretem tradita divinum, eam necesse est ineat viam, quae ad populi voluntatem et rationem respondeat: qui fit, ut mutatis populi moribus studiisque vel vitae eius condicionibus commutetur ratio ipsa, qua aut reapse utitur religio in hac quaestione aut quidam ex ministris eius nituntur. Commutata ergo illa ratio commutatarum vitae condicionum nunquam non insigne est[4]).

Ad Graecorum iam si revertimur religionem, non eandem omni aetate de quaestione mota fuisse sententiam, sed alias exstitisse aliis temporibus eschatologiae ut ita dicam opiniones cum alii alibi ostenderunt, tum *Lehrsius* demonstravit rem non

---

[1]) Werke. Berlin. Hempel. vol. 18. pag. 305.

[2]) Sämtl. Werke hrsgg. von *Frauenstaedt*. ed. 2. tom. 5. pag. 136 sq.

[3]) cf. *Rosenkranz*, Karl, Die Naturreligion. Ein philosophisch-histor. Versuch. Iserlohn 1831. pag. 41.

[4]) cf. *M. M. Daniel*, A Future Life as represented by the Greek Tragedians (inest in: The Classical Review, vol. IV, London 1890): „The degree of civilization attained, current ethics, national idiosyncrasies of moral or physical constitution, political status, national pursuits — are all directly or indirectly reflected in a people's views as to what is to succeed this present life of ours; so that from the peculiar eschatology of a nation at a given period it would be possible to reconstruct not a little of the political, social and moral conditions of the epoch“ (l. c. p. 81).

modo confirmans verum etiam ad causas revocans in commentatione, quae inscribitur „Vorstellungen der Griechen über das Fortleben nach dem Tode“[1]). Quare operae pretium esse videatur commutationis illius vestigia indiciaque indagare ac perlustrare; his enim repertis atque cognitis spes est, fore ut paulo melius rectiusque intellegamus, qualem sibi finxerint relationem inter vitam et mortem intercedentem Graeci singulis temporibus. Quoniam autem et omnium quae ad antiquitatis naturam ingeniumque pertinent quaestionum ab *Homero* repetendum est principium neque fieri potest, quin in eiusmodi disquisitionibus cura ac diligentia latioribus spatiis aliquanto minuantur, in praesens quod fuerit discrimen inter *Homeri* et tragicorum Graecorum de inferis opiniones diligentius exquirere mihi proposui, et hac ex collatione paucorum profecturum esse sperans quantulumcunque commodi ad uniuscuiusque persuasiones interpretandas et poetae componendos poetas ratus ob indolis atque ingenii similitudinem.

Ac primum quidem caveat quispiam, ne nostrorum temporum notionibus nimis implicitus non oportere censeat comparari de eiusmodi quaestionibus epicum poetam cum tragico: nam praeterquam, quod antiquitatem magis quae essent res quam quomodo sentirentur respicientem[2]) non novisse ea cum significationis et amplitudine et subtilitate id, quod sermone patrio „subjectiv“ et „objectiv“ dicimus, quicunque haec vocabula latine vel graece ad verbum transferre voluerit perfacile intelleget, minime neglegendum est, et *Homerum* adeo non de rebus considerare, ut eas ipsas oculis nostris subiciat[3]), et tragicos suae aetatis mores, studia, rationes usque eo reddere, ut vera quaedam inde colligi possit eius imago: neque enim, si

---

[1]) Populäre Aufsätze aus dem Altertum. [2]. Leipzig 1875. p. 303 sqq.

[2]) cf. *Boeckh*, Encyklopädie und Methodologie der philologischen Wissenschaften, hrsgg. von Ernst Bratuscheck. Leipzig 1877. pag. 266: „Im Altertum nehmen daher auch die innerlichsten Regungen eine äusserliche Gestalt an; die subjective Empfindung tritt zurück gegen die objective Anschauung und Darstellung.“

[3]) cf. *Wood*, Rob., Versuch über das Originalgenie Homers. Aus dem Englischen (London 1769) von Ch. F. Michaelis. [2]. Frankf. a./M. 1778.

nihil essent persecuti, nisi sua propria proposita privatosque effectus, opera eorum aut *Aristoteli* tragoediae naturam perquirenti atque definienti quasi fundamenta quibus niteretur praebuissent, aut etiamnunc a nobis, qui iam longe absimus, ut caeca illorum admiratione teneamur, monumentum antiquitatis haberentur aere perennius. In vita igitur versatae sunt *Aeschyli, Sophoclis, Euripidis* tragoediae, etsi argumenta earum ex fabulis repetita erant, et ita versatae sunt, ut quae nobis in iis occurrit sententiarum morumque diversitas non tam ad suum cuiusque poetae ingenium et indolem quam ad aetatis naturam atque rationem revocanda sit, cuius illo tempore intra pauca decennia magnam fuisse variis de causis commutationem accuratius rerum studium declarat docetque[1]). Itaque habemus quod censeamus, et quas *Homerus* et quas tragici nobis tradiderint de inferis opiniones maximam partem non poetarum proprias fuisse sed hominibus illorum temporum solitas expeditasque[2]).

---

[1]) cf. *Hoffmann,* Das Walten der Gottheit im Menschenleben nach Aeschylus und Sophocles. pag. 1. Inest in: Sophien-Gymnasium in Berlin. IV. 1869.

[2]) Aliam expromit sententiam Ervinus *Rohdeius* in libro, quem inscripsit „Psyche. Seelencult und Unsterblichkeitsglaube der Griechen“ (prima pars Friburgi 1890). Dicit enim: „Vor allem muss man sich vorhalten, dass uns in diesen Dichtungen zunächst und unmittelbar doch eben nur der Dichter und seine Genossen entgegentreten . . . . Es versteht sich eigentlich von selbst, dass die Freiheit, fast Freigeistigkeit, mit der in diesen Dichtungen alle Dinge und Verhältnisse der Welt aufgefasst werden, nicht Eigentum eines ganzen Volkes oder Volksstammes gewesen sein kann“ (l. c. p. 35). Sed a se dissidere videtur, si invenimus l. c. p. 37: „Man würde gleichwohl die Stellung der homerischen Dichtung zum Volksglauben völlig missverstehen, wenn man sie sich als einen Gegensatz dächte, wenn man auch nur annähme, dass sie der Stellung des Pindar oder der athenischen Tragiker zu den Volksmeinungen ihrer Zeit gleiche . . . Nicht alles, was das Volk glaubte, hat der Dichter sich angeeignet, aber was er vorbringt, muss auch zum Volksglauben gehört haben.“ Quam in inconstantiam dubito an inciderit eius quam exhibet de anima inferisque doctrinae confirmandae studio ductus. Inter eas enim, quas fuisse ante Homerum populi persuasiones *Rohdeius* ponit, et quas post Homerum exstitisse constat, constituta esset cohaerentia, si apud Homerum quae inveniuntur ad

Distantiam autem ex comparatione earum nascentem, cum ita intellegendam esse, ut ex mutatis vitae condicionibus proficiscatur, supra confirmaverim, proximum est, ut quaeratur, quid *Homerus*, quid tragici senserint de vitae dignitate ac pretio. Quo facto eum sequi ordinem in quaestione tractanda mihi proposui, ut primum *Homeri* opiniones de ipsa mortuorum condicione cum tragicorum conferam, deinde exponam, quomodo Orci Homerici natura differat ab *Aeschyli, Sophoclis, Euripidis* sede umbrarum, tum de ceteris Orci incolis apud *Homerum* et apud tragicos agam, postremo iusta funebria et aetate Homerica et tragicorum temporibus ad opiniones de inferis respondere paucis ostendam.

Atque *Homeri* quidem de vitae pretio sententiam apte et dilucide quod sciam exposuit *Teuffelius* in commentatione, quae inscribitur „Zur Einleitung in Homer“[1]. Ea enim, quae dicit l. c. pag. 30 sqq., et presse et simpliciter reddunt opinionem ex carminibus ipsis manantem, cum *Naegelsbachius*[2] eam non sine aliqua propositi captatione interpretatus esse videatur. Fuit igitur in hominibus aetatis Homericae vita vigoris, sanguinis, suci plena sine ulla animi mollitia[3] et tanta votorum modestia atque simplicitas, ut sorte sua contenti beatique omnino in hac vita adquiescerent: quidquid enim praebet per se bonum iustumque est, neque quicquam desideratur, nisi frui iis, quae praebet, cum animi tranquillitate, velut Ulixes dicit ι 5 sqq.:

οὐ γὰρ ἐγώ γέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι
ἢ ὅτ' ἐυφροσύνη μὲν ἔχῃ κάτα δῆμον ἅπαντα,
δαιτυμόνες δ'ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ
ἥμενοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι

---

poetae ingenium non ad populum ipsum essent revocandae. Plura dicam paulo inferius, ubi tractanda mihi accuratius erit *Rohdeii* doctrina.

1) Studien und Charakteristiken. Leipzig 1871. p. 1—44.

2) Homerische Theologie. 3. Aufl. bearbeitet von Autenrieth. Nürnberg 1884. cap. VII.

3) *Lehrs* l. c. pag. 306.

σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν·
τοῦτό τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.[1])

Itaque quae non desunt res adversae atque calamitates homines vehementi sed non ita diuturno afficiunt dolore: una autem miseria est, quae nunquam superatur — vitae brevitas. Mortales enim φύλλοισιν ἐοικότες ἄλλοτε μέν τε ζαφλεγέες τελέθουσιν, ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες, ἄλλοτε δὲ φθινύθουσιν ἀκήριοι (Φ 464 sqq.); foliis similes sunt, quae vere nata autumnus dissipat:

οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.
φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη·
ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει ἡ δ' ἀπολήγει.

(Z 146 sqq.). Mors igitur, quae vitae suavitati finem facit, summum habet odium, quare vocatur θάνατος κακός Γ 173 Π 47 Φ 66 Χ 300 χ 14, et qui declarare vult se aliquem quam maxime odisse dicit: ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν (I 312 ξ 156), ut Γ 454 Alexandrum Troianis eorumque sociis maximae esse invidiae ita significatur: ἶσον γάρ σφιν πᾶσιν ἀπήχθετο κηρὶ μελαίνῃ. Quin etiam dei immortales ipsi oderunt reformidantque Orcum ut vitae infestissimum (Υ 65). Quod autem mortem desiderari saepius invenimus, caveamus ne perperam intellegamus; nam si Agamemno mori mavult quam Menelao interfecto in patriam redire (Δ 182) vel Penelopa vita decedere quam alii nubere viro (υ 80), si Andromacha se Hectori superstitem esse non vult (Z 411), si Ulixes dicit: moriar, dummodo videam patriam meosque (η 224) et Achaeorum nonnulli: mortem oppetamus, modo ne Patrocli corpus hostibus relinquamus (P 417), si Diomedi saluti fuga petitae mors praeferenda esse videtur (Θ 150): nonne haec omnia argumento esse putabimus, homines aetatis Homericae, quantuscunque fuit eorum amor vitae, pluris fecisse fidem erga suos, amorem patriae, honorem? Neque repugnat huic sententiae, quod Achilles dicit (I 401), se vitam potiorem ducere quam omnes Troiae opes et Apollinis thesaurum Pythicum, sibi vitam esse summum bonum:

---

[1]) edit. usus sum Imm. *Bekkeri* prima. Berolini 1843.

vanam enim gloriam abiecturus est amore vitae captus, non honorem. Sin autem exstant quaedam exempla mortis propter vitae miseriam desideratae, velut Achilles mori cupit dolore amici erepti (Σ 98) vel Menelaus nuntio de fratris interitu accepto (δ 540) vel Ulixes desiderio patriae (α 59), Penelopa desiderio coniugis (σ 202), Laertes maerore filii uxorisque obitus (ο 352), ad singulas animi affectiones ea revocanda eoque minus respicienda esse puto, cum se ipsum interemisse apud *Homerum* nemo fere dicatur. Nam praeterquam, quod Antilochus timet, ne Achilles post mortem Patrocli desperatione impulsus manus sibi inferat (Σ 34), et Ulixes in conspectu patriae ventis Aeoli solutis in altum reiectus secum reputat, utrum praecipitans in mare necem sibi consciscat necne (κ 51), duobus tantum locis iisque ut primae necyiae, altero etiam indicis mulierum quem vocant, suspectis mors voluntaria commemoratur, Epicastae (λ 278) et Aiacis (λ 549), cum de Anticleae fine, de quo agitur λ 202 et ο 358, mea quidem sententia dubitari possit, utrum fuerit voluntarius an maerore filii amissi allatus, id quod *Nitzschius*[1]) quoque in medio relinquit l. c. III. pag. 222.

His quamvis paucis iam sic adumbratam puto *Homeri* de vitae dignitate ac pretio opinionem, ut perfacile possit intellegi, quam probe dixerit Ernestus *Curtius*[2]) l. c. I. pag. 222: „Da ist die Gegenwart Alles, und bei dem Glanze des äusseren Lebens tritt das stillere Leben des Geistes zurück, wie es wohl bei Jünglingen der Fall ist, welche sich zum ersten Male einer ruhmvollen Thätigkeit mit voller Seele hingeben und von den glücklichen Erfolgen derselben ganz in Anspruch genommen sind. Da ist die Lust am Leben auf das Höchste gesteigert und jede Mahnung an das Ende desselben wird scheu vermieden“[3]).

---

[1]) Erklärende Anmerkungen zu Homers Odyssee. 3 Bde. Hannover 1826—1840.

[2]) Altertum und Gegenwart. Gesammelte Reden und Vorträge. I. [3]. Berlin 1882.

[3]) Permiram profert sententiam J.-A. *Hildius* in commentatione, quam

Transeamus nunc ad *Aeschylum.* Qui apertis verbis expressa non ita multa sed gravia nobis tradit testimonia. Liberum igitur aerumnis miseriisque vivere deorum non hominum est — τίς δὲ πλὴν θεῶν ἅπαντ᾽ ἀπήμων τὸν δι᾽ αἰῶνος χρόνον; (Ag. 524)[1]) et ἀνθρώπεια δ᾽ ἄν τοι πήματ᾽ ἂν τύχοι βροτοῖς. (Pers. 691) — mala autem adeo homines circumveniunt, ut res secundae nihil aliud esse videantur, nisi umbra, quam facile et momento temporis delent res adversae tamquam spongia abstergentes:

ἰὼ βρότεια πράγματ᾽· εὐτυχοῦντα μὲν
σκιά τις ἂν πρέψειεν, εἰ δὲ δυστυχῇ,
βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσεν γραφήν.

(Ag. 1272)[2]). Itaque βίου πονηροῦ θάνατος εὐκλεέστερος (frg. 85 apud *Nauckium,* cuius usus sum collectione)[3]) et

ζωῆς πονηρᾶς θάνατος αἱρετώτερος·
τὸ μὴ γενέσθαι δ᾽ ἐστὶν ἢ πεφυκέναι
κρεῖσσον κακῶς πάσχοντα.

(frg. 392) et

---

inscripsit „Le pessimisme moral et religieux chez Homère et Hésiode" (inest in: Revue de l' histoire des religions, vol. XVII, 1888, p. 129—168). Dicit enim: „En tout état de cause, s' il est certain que l' homme homérique assimile la mort au mal, on ne saurait dire que pour lui la vie soit identique au bien; et cela suffit pour que la part de pessimisme qui est au fond de sa morale soit considérable" (l. c. pag. 141). At apud *Buchholzium* si invenimus (Homerische Realien, II, 2, pag. 281. Leipzig 1883): „In der That sind die Anschauungen der homerischen Griechen vom Tode und von der Existenz, welcher das schattenhafte Residuum des gewesenen Menschen nach dem Eintritt desselben verfällt, durch und durch pessimistisch", nulla his verbis dissensio cum *Curtii* sententia continetur.

1) edit. usus sum Henrici *Weilii.* Giessae 1858—1867. Ad comparandum adhibui Godofr. *Hermanni* edit. alt. Berolini 1859.

2) *Weilii* lectionem non secutus pro dativo σκιᾷ cum *Hermanno* scripsi σκιά, subiectum cum τὶς coniungendum. — εὐτυχοῦντα haud scio an leni correctione in εὐτυχοῦσι mutari praestet, quia πρέπειν aut cum dativo aut perraro cum praepositionibus εἰς vel ἐν construitur. Quamquam Suppl. 185 scriptum invenimus: ὡς ἐπήλυδας πρέπει.

3) Tragicorum Graecorum fragmenta recensuit Aug. *Nauck.* Lipsiae 1856.

ὡς οὐ δικαίως θάνατον ἔχθουσιν βροτοί,
ὅσπερ μέγιστον ῥῦμα τῶν πολλῶν κακῶν.

(frg. 343), nam mortui nulla afficiuntur calamitate neque reviviscere cupiunt (Ag. 538), quia mors liberat acerbis miseriis (Suppl. 768) et omnium aerumnarum levamen est (Sept. c. Theb. 344)[1]). Quare invocatur:

ὦ Θάνατε Παιάν, μή μ᾽ ἀτιμάσῃς μολεῖν.
μόνος γὰρ εἶ σὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν
ἰατρός, ἄλγος δ᾽ οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ.

(frg. 250). Tamen nullum fere exstat voluntariae mortis exemplum praeterquam, quod Danaides se necem sibi consciscere paratas esse dicunt, si nullo alio modo matrimonium invisum effugere potuerint (Suppl. 757). Sed is, qui *Aeschyli* tragoedias aperto pectore legerit, facile, etiamsi ab his testimoniis recedat, sibi persuadebit, quantum tota earum ratio atque sua cuiusque argumenti natura valeat ad recte cognoscendam poetae de vitae pretio sententiam et sine dubio concedet, securitate illa, quae ut Homericae aetatis homines pueris in ludo defixis similes esse videantur imprimis efficit, *Aeschyli* temporibus non iam imbutas fuisse hominum mentes, cum fieri non possit, ut vitae severitas, tristitia, fragilitas animis nostris manifestius proponatur quam his tragoediis.

Ab *Aeschyli* sententia ut distet *Sophocles* tantum abest, ut contra plura afferat eius indicia. Ac nonnullis quidem locis vita, etsi gaudiis intermixti sunt dolores — ἀνάλγητα γὰρ οὐδ᾽ ὁ πάντα κραίνων βασιλεὺς ἐπέβαλε θνατοῖς Κρονίδας· ἀλλ᾽ ἐπὶ πῆμα καὶ χαρὰ πᾶσι κυκλοῦσιν, οἷον ἄρκτου στροφάδες κέλευθοι (Trach. 126 sqq.)[2]) —, aperte praedicatur, cf. frg. 64: τὸ ζῆν γάρ, ὦ παῖ, παντὸς ἥδιστον γέρας et frg. 275: τὸν Ἀίδαν γὰρ οὐδὲ γῆρας οἶδε φιλεῖν, sed quantam huic laudi fidem tribuemus, cum praeterquam, quod Aiax dicit, turpe esse longam cupere vitam eum, qui malis continuis circumveniatur, (Ai. 473), scriptum videamus:

---

[1]) ita enim hos versus intellego dissentiens cum *Hermanno*. Cf. *Weilii* adnot. ad vss. 341 sqq. et *Hermanni* interpret. loci Aeschyli trag. tom. II. pag. 298 sq.

[2]) edit. usus sum G. *Dindorfii* tertia. Oxonii 1859/60.

ὦ δύστανα γένη βροτῶν,
οἷς μὴ μέτριος αἰών.

(Phil. 178) vel:

οὐδὲν γὰρ ἄλγος οἷον ἡ πολλὴ ζόη.

(frg. 509) vel:

ἰὼ γενεαὶ βροτῶν,
ὡς ὑμᾶς ἴσα καὶ τὸ μηδὲν ζώσας ἐναριθμῶ.
τίς γάρ, τίς ἀνὴρ πλέον
τᾶς εὐδαιμονίας φέρει
ἢ τοσοῦτον ὅσον δοκεῖν
καὶ δόξαντ' ἀποκλῖναι;

(Oed. R. 1186 sqq.)? quantam, ubi primum meminerimus pervagatissimum illud:

μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νικᾷ λόγον· τὸ δ', ἐπεὶ φανῇ
βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥκει
πολὺ δεύτερον ὡς τάχιστα.

(Oed. Col. 1225 sqq.)? Ecquis igitur mirum esse putabit, quod invenitur: ὅστις γὰρ ἐν πολλοῖσιν ὡς ἐγὼ κακοῖς ζῇ, πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει; (Ant. 463) et: σὺ δ' ἄνδρα θνητόν, εἰ κατέφθιτο, στένεις, εἰδὼς τὸ μέλλον οὐδὲν εἰ κέρδος φέρει; (frg. 760) — cuius loci haud scio an amplior sit et subtilior sententia, de qua infra agetur — et: ἀλλ' ἔσθ' ὁ θάνατος λῷστος ἰατρὸς νόσων. (frg. 631)? Cui enim tanto vita oneri est, ut nihil sit, quod eam tolerabilem reddat, eum mortem desiderare quasi malorum vindicem consentaneum est, quoniam mortui vacant et laboribus negotiisque — πῶς γὰρ ἂν ὁ μὴ λεύσσων ποτ' ἔτ' ἐπίπονον ἔχοι θανὼν λατρείαν; (Trach. 829) — et omni aegritudine atque miseria: τοῖς γὰρ θανοῦσι μόχθος οὐ προσγίγνεται (Trach. 1173) et: τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους (Elect. 1170) et: θανόντων δ' οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται (Oed. Col. 955). Itaque admirationem non movebit in septem illis *Sophoclis* tragoediis, quae supersunt, mortis voluntariae sex exstare exempla: manus sibi inferunt Iocasta, Antigona, Haemon, Eurydice, Aiax, Deianira. Quae res, utcunque de causis, quibus adducti ipsi interemptores sui fiunt, iudicamus, non neglegenda ei videbitur, qui

quae fuerit illis temporibus vitae propria aestimatio operam dabit ut cognoscat.

Tertius qui sequitur tragicorum Graecorum *Euripides,* etsi ab *Aeschylo* et *Sophocle* cum tota fabularum suarum natura atque ratione tum saepenumero singularum quaestionum cognitionibus aliquantum differt[1]), tamen in hac quaestione ab iis non dissentit, nisi quod, ut Godofr. *Hermanni* verbis utar, „in molliores sensus quam in vehementes animi motus proclivior“[2]) est. Vitam amari atque magni fieri, mortem in odio esse nonnulli loci documento sunt, quorum haud scio an potissimus sit:

ὦ λαμπρὸς αἰθὴρ ἡμέρας θ' ἁγνὸν φάος
ὡς ἡδὺ λεύσσειν τοῖς τε πράσσουσιν καλῶς
καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν, ὧν πέφυκ' ἐγώ.

(frg. 446); et praeterea haec scripta legimus:

τερπνὸν τὸ φῶς μοι τόδ'· ὑπὸ γῆν δ' Ἅιδου σκότος
οὐδ' εἰς ὄνειρον ἡδὺς ἀνθρώποις μολεῖν.

(frg. 537) et:

ὁ θάνατος δεινὸν κακόν.

(Iphig. Aulid. 1415)[3]) et:

πάντων τὸ θανεῖν· τὸ δὲ κοινὸν ἄχος
μετρίως ἀλγεῖν σοφία μελετᾷ.

(frg. 47). Neque vero ex his locis efficiendum est *Euripidem* fuisse vitae iucunditatis laudatorem atque propugnatorem, cum non desint, e quibus cogi possit, quanta ei apparuerit vitae moles. Invenitur enim:

ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά,
τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

---

1) cf. Godofr. *Hermanni* praef. ad Eurip. Orest. Lipsiae 1841. p. VI.
2) pag. XV. praef. ad Eurip. Hecub. denuo recens. Lipsiae 1831.
3) edit. usus sum Adolphi *Kirchhoffii*. Berol. 1855.

(frg. 452) et:

πᾶς δ' ὀδυνηρὸς βίος ἀνθρώπων
κοὐκ ἔστι πόνων ἀνάπαυσις.

(Hippol. 188) et:

θνητῶν γὰρ οὐδείς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ·
ὄλβου δ' ἐπιρρυέντος εὐτυχέστερος
ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ.

(Med. 1217 sqq.) et:

ὅστις γὰρ οὐκ εἴωθε γεύεσθαι κακῶν,
φέρει μέν, ἀλγεῖ δ' αὐχέν' ἐντιθεὶς ζυγῳ·
θανὼν δ' ἂν εἴη μᾶλλον εὐτυχέστερος
ἢ ζῶν· τὸ γὰρ ζῆν μὴ καλῶς μέγας πόνος.

(Hecub. 373 sqq.). Nonne haec testimonia, quibus alia eiusmodi addere longum est, tantundem vel plus valere putabimus quam illa? Neve fallamur, quod legitur:

πανταχοῦ ζῆν ἡδὺ μᾶλλον ἢ θανεῖν τοῖς σώφροσιν

(Orest. 1517) et:

πᾶς ἀνήρ, κἂν δοῦλος ᾖ τις, ἥδεται τὸ φῶς ὁρῶν

(Orest. 1531), servum enim ignavum Phrygem audimus; vel:

ἦ μὴν πολύν γε τὸν κάτω λογίζομαι
χρόνον, τὸ δὲ ζῆν σμικρόν, ἀλλ' ὅμως γλυκύ.

(Alc. 703) et:

φίλον τὸ φέγγος τοῦτο τοῦ θεοῦ, φίλον.

(Alc. 734), nam senex senum more vitae avidus loquitur; vel:

τὸ φῶν τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν,
τὰ νέρθε δ' οὐδέν· μαίνεται δ' ὃς εὔχεται
θανεῖν. κακῶς ζῆν κρεῖσσον ἢ καλῶς θανεῖν.

(Iphig. Aulid. 1252 sqq.): num mirum est ita affectam esse animo virginem nece morituram? Quid? quod vitae amor proficisci dicitur ex ignoratione mortuorum condicionis? velut legitur:

ἀλλ' ὅ τι τοῦ ζῆν φίλτερον ἄλλο
σκότος ἀμπίσχων κρύπτει νεφέλαις.
δυσέρωτες δὴ φαινόμεθ' ὄντες
τοῦδ', ὅτι τοῦτο στίλβει κατὰ γᾶν,
δι' ἀπειροσύναν ἄλλου βιότου
κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας·

(Hippol. 190 sqq.) et:

ὦ φιλόζωοι βροτοί,
οἳ τὴν ἐπιστείχουσαν ἡμέραν ἰδεῖν
ποθεῖτ' ἔχοντες μυρίων ἄχθος κακῶν.
οὕτως ἔρως βροτοῖσιν ἔγκειται βίου.
τὸ ζῆν γὰρ ἴσμεν, τοῦ θανεῖν δ' ἀπειρίᾳ
πᾶς τις φοβεῖται φῶς λιπεῖν τόδ' ἡλίου.

(frg. 813. vs. 6 sqq.). Non suo iure igitur *Warmboldius*[1]) l. c. pag. 6 in universum iudicaverit: „Das Leben ist dem Griechen (sc. apud Euripidem) ein grosses Gut, dessen Wert er sehr wohl zu schätzen weiss, ja unter Umständen erscheint es ihm als das höchste Gut", quamquam eam sententiam testimoniis probare conatur. Nam vitae amor, qualem *Euripides* tragoediis suis illustrat, non naturalis atque principalis est, ut in *Homeri* carminibus: is enim amor neque ab ignoratione condicionis mortem sequentis repetitur neque versatur in laudibus mortis hominem miseriis aerumnisque levantis. An quicquam invenimus apud *Homerum*, quo similis significetur sententia atque ea, quam *Euripides* aperit Heracl. vs. 595:

τὸ γὰρ θανεῖν
κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται.

vel frg. 363:

ἐγὼ δὲ τοὺς καλῶς τεθνηκότας
ζῆν φημὶ μᾶλλον τῶν βλεπόντων μὴ καλῶς[2])

---

[1]) Euripides' Ansichten vom Tode und vom Jenseits. Progr. d. Herzogl. Carlsgymnasiums. Bernburg 1871.

[2]) Stob. Flor. 121, 15 legitur pro „τῶν βλεπόντων" „τοῦ βλέπειν τους", parum liquente verborum conformatione, non satis sententia loci. Quare *Nauckius* coniecit vs. 2. ζῆν φημί, φημὶ δ' οὐ βλέπειν τοὺς μὴ καλῶς, sed si

vel illo loco, ubi Talthybius Hecubae quare ab eo beatam praedicare iubeatur Polyxenam filiam quaerenti respondet:

ἔχει πότμος νιν, ὥστ᾽ ἀπηλλάχθαι πόνων,

(Troad. 271)? Commendat sane *Euripides* vitae amorem, sed ita commendat, ut cogitationem eius potius quam affectum ipsum ostendat, atque idcirco commendat, quod haud scio an inscius sentiebat, iam enixe resistendum esse ei rationi, qua vita molesta misera aerumnosa habebatur, ne latius manans magis magisque in animum et mentem populi insinuaret vel qua postremo in vulgus prodiret exitus patentis persuasio. Itaque, tametsi duobus locis Hec. 1084 sq. Polymestoris excaecati lamentis et Alc. 235 sqq. Admeti, cui coniugis amissio instat, fortuna misera chorus graviter commotus ignoscendum esse dicit ei, qui permagna vitae calamitate ad finem quaesitum adigatur, rara voluntariae mortis apud *Euripidem* sunt exempla: vitae suae durius consulunt Phaedra, Iocasta, Euadne; vim sibi attulisse narrantur Aiax (Hel. 96), Leda (Hel. 136) et mutua caede Castores (Hel. 142); sed de his duplex fama est, nam in astris positi esse dicuntur Hel. 140. Qui cum omnes mortem sibi consciscant intolerantia vitae impulsi, Hercules, etsi uxore liberisque foede necatis furore liberatus gravissimis vexatur doloribus, finem voluntarium spernit, ne salutem quasi turpi fuga petere videatur:

ἐσκεψάμην δὲ καίπερ ἐν κακοῖσιν ὤν,
μὴ δειλίαν ὄφλω τίν᾽ ἐκλιπὼν φάος.
τὰς συμφορὰς γὰρ ὅστις οὐκ ἐπίσταται
θνητὸς πεφυκὼς ὃν τρόπον χρεὼν φέρειν,
οὐδ᾽ ἀνδρὸς ἂν δύναιθ᾽ ὑποστῆναι βέλος.

---

non prorsus caecutio improbanda haec coniectura, poetae cogitationem summae ieiunitatis tribuens: non enim turpi morti sed turpi vitae ut Iphig. Aulid. vs. 1254 opponi puto pulchram mortem. Itaque legendum proponam: ζῆν φημὶ μᾶλλον τῶν βλεπόντων μὴ καλῶς, exceptionem alioqui non plane inauditam concedens legis, quam de longa in prima parte quinti trimetrorum pedis syllaba statuit Godofr. *Hermannus* praef. ad Eurip. Cyclop. pag. XIV. Quam lectionem propter Stobaeianae corruptionem facere non potui, quin in textum reciperem, dum futurum esset, ut melior afferretur.

(Herc. fur. 1334 sqq.). Atque eo magis necesse erat officere, quominus vita pro re vili haberetur aut ex voluntate abiceretur — *Agathonis* quoque poetae, quocum amicitia *Euripides* coniunctus fuisse traditur, exstat fragmentum: φαῦλοι βροτῶν γὰρ τοῦ πονεῖν ἡσσώμενοι θανεῖν ἐρῶσιν (frg. 7 apud *Nauckium)* —, quod iam non deerat opinio, id, quod vitam appellamus, appellandum esse mortem, veram enim vitam eamque curis, laboribus, miseriis liberam nisi morte non contingere mortalibus, velut invenitur:

> τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν
> τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται;

(frg. 639) et:

> τίς δ' οἶδεν εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν,
> τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί; πλὴν ὅμως βροτῶν
> νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὀλωλότες
> οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά.

(frg. 830)[1]).

Quanta igitur, si *Homerum* cum tragicis comparamus, opinionum de vitae dignitate ac pretio commutatio, quanta

[1]) In commentatione, quam inscripsit „Der Todesgedanke bei den Griechen. Eine historische Entwickelung, mit besonderer Rücksicht auf Epikur und den römischen Dichter Lucrez.“, (inest in: Jahresbericht über das Königl. Gymnasium zu Trier. 1862.) *Reisackerum* frg. 639 aliter atque ego, qui ad mortuorum in Orco condicionem referam, intellegere invenio. Dicit enim pag. XXV sq.: „Auch hierin (sc. mortuos nisi universa atque aeterna divini aetheris conscientia non immortales esse) stimmt Euripides mit Prodikus überein und wie dieser nähert er sich den älteren jonischen Philosophen, nach deren Vorstellung die mit dem Tode entbundene Seele des Einzelwesens in die unzerstörbare Herrlichkeit und Göttlichkeit der allgemeinen Naturkraft zurückfliesst. Unzweifelhaft liegt auch nur diese Vorstellung jenem von Platon im Gorgias gepriesenen und deutlich an den älteren Heraklit erinnernden Ausspruche des Euripides zu Grunde: «Wer weiss denn, ob das Leben nicht ein Sterben ist und Sterben Leben».“ Tamen facere non possum, ut *Reisackeri* de fragmento ad immortalitatem aetheriam revocando sequar sententiam, et propter illud „κάτω νομίζεται“, quod apud Platonem sane (Gorg. p. 492 E) non exstat, et quia in frg. 830 mea opinione idem ac superius significante vivi et mortui miseriis comparantur. Cet. cf. pag. 69 sq.

distantia ab *Homeri* mortis odio maximo usque ad *Aeschyli* et *Sophoclis* „mors est medica malorum“ vel *Euripidis* „dubium est an obviam moriamur vitae“! De causis autem illius commutationis *Lehrsium* profero, qui dicit l. c. pag. 311 sq.: „Welche Veränderung ist in diesen Jahrhunderten eingetreten! Nun dieselbe Veränderung, ein Ausfluss jener Veränderung, welche aus der epischen Poesie die lyrische, ja dramatische erwachsen liess, welche die Philosophie erkeimen liess, die Historie. Wie der Grieche aus beschränktem Raume hinausgekommen war über Land und Meer zu Reisen, Entdeckungen, Kolonisationen, nahen und dauernden Berührungen, ja Vermischungen mit Völkern ganz abweichender und befremdender religiöser, staatlicher, häuslicher Einrichtungen: wie in den innergriechischen Vorgängen selbst das Leben in Völkerwanderungen, in Krieg und Frieden, in Kriegs- und Friedensparteiung, in Verfassungsstreit und Verfassungsentwickelung, in Vielseitigkeit der Lebensziele und Lebensbestrebungen schwieriger und verwickelter wurde: so ward das Leben schwerer empfunden, selbst Liebe und Hass waren schwerer zu tragen, das naive Beruhen in dem alten Glauben über die Menschen und menschlichen Dinge, über die alten guten Götter und die göttlichen Dinge geriet in Anregung und Aufregung, überall thaten sich Probleme auf.“ [1])

Ab hac opinionum de vitae dignitate ac pretio commutatione, ut supra diximus, repetenda est distantia, quae comparantibus *Homeri* et tragicorum de inferis opiniones nobis occurrit. Aliter enim consentaneum est de mortuorum condicione iudicaturum esse eum, qui totus in hac vita versatur habitatque, aliter eum, qui vitae mole gravatus quasi civitate repudiata in demigrationem spem transtulerit [2]). Nam ille non

---

[1]) Eandem aperit sententiam Ervinus *Rohdeius* l. c. pag. 187 sq.

[2]) Arthur *Jung,* De homine Homerico (inest in: Königliches Gym-

curabit exitum, hic curabit; ille invitus trahitur in exterae regionis odium atque ignobilitatem, hic libens abit tamquam in patriam ignotam sed praecultam; denique illum pro vitae impigritate atque vigore languor manet et inertia, huic laboribus aerumnisque vexato vacuitas contingit omnium malorum aut perfectae beatitudinis usura. Utrique igitur condicione utendum est vitae suae contraria; etenim aut quod timet spernitque aut quod sperat et concupiscit hanc vitam sequi persuasum habet. Nam quid aliud est unaquaeque condicionis post mortem opinio, quae quidem naturalis atque principalis sit, nisi timoris vel spei significatio cogitatione temperata? Cum autem de illa condicione nemo sit, qui certum sciat, ut in re dubia atque ignorata, fieri non potest, quin pro sua cuique voluntate et ratione animo eam effingere liceat: qui fit, ut etiam rata opinione pervulgata non desint, qui suo desiderio inservientes a vulgari sententia dissentiant: velut is, qui felix fortunatusque huius vitae bonis fruitur, quamvis post mortem non habeat quod speret, quia possidenti magis timendum est, ne iacturam faciat, quam fore ut intacta permaneat felicitas sperandum, interdum tamen spe ex desiderio repetita in morte, quam odisse eum putes, ut in fonte futurae iucunditatis adquiescit; contra fieri potest, ut qui omnia per hanc vitam sibi negata morte se adepturum esse ratus in excessu unam spem posuerit semel aliquando fractus laborando atque desiderando defessus omni spe deposita etiam id ipsum desperet, mortem speratae felicitatis fore auctorem. Nihilo setius in hac tanta opinionum licentia quaedam sunt, quibus nimia libertas coercetur. Quomodo enim mundum et quae in eo sunt ex nihilo orta esse mente nunquam potest comprehendi, nisi vero quadamtenus detorta et ad ineptas sterilesque cavillationes descendente [1]) — *Ovidii* illud:

---

nasium zu Meseritz. Ostern 1888) pag. 17: „An dubitandum est, quin homines quanto minus hanc vitam idoneam esse arbitrentur, qua contenti sint, tanto magis sustententur ea consolatione, quae iis adhibetur a philosophis docentibus, animos semper mansuros esse?“

[1]) cf. *Lange*, Geschichte des Materialismus und Kritik seiner Bedeutung in der Gegenwart. 3. Aufl. Iserlohn 1876. vol. I. pag. 151.

„Ante mare et terras et, quod tegit omnia, caelum
Unus erat toto naturae voltus in orbe,
Quem dixere Chaos.“

meminerit, quicumque ardentis nebulae globo illo, quem nostrae aetatis opiniosi quidam physici magna cum doctiloquentia studiose multumque volutant, satiatus est — sic ad nihilum recidere, ad prorsus inquam nihilum ea quae sunt nemini unquam probabitur. Quare ut ante ortum corporalium, ita post interitum nulla quaestione adhibita esse quoddam poni licet. Quale autem sit illud esse, si in quaestionem vocatur, et difficillimum est ad cognoscendum et diversissime potest intellegi.

Sed hic fortasse quispiam dixerit, ea, quae modo disseruimus, cogitandi spinas esse, quas attingere philosophorum sit meditationes obeuntium, non vulgi contemplationum incuriosi. Qui quo iure id obiecerit vel inde apparet, quod, si unquam, in hac quaestione ea ipsa, de quibus philosophari videmus philosophos, ex iis originem ducunt, quae vulgi eo vehementius sentientis, quo minus meditatur, nimium quantum afficiunt sensus. Ut enim ceterum nihil vel non multum curet vulgus, utrum mente comprehenderit causas rerum necne, tamen hac in re, si modo curat rem, eo magis cogitando certa consequi desiderat, quo latioribus terminis circumscripta est opinionum incerta varietas. Cui desiderio etsi satisfacere ne philosophi quidem usque adhuc potuerunt neque unquam poterunt [1]), vulgi animos, ubi primum ortum est, nunquam non infixos esse invenimus.

Atque etiam artius nodus constringitur, quod quaecunque ponunt opiniones, esse eos, qui defuncti sunt, ad determinandam mortuorum condicionem duo coniungant necesse est, quae inter se repugnant quam maxime. Nam ut sint mortui fieri non potest, quin animum habeant; ut autem vacui sint doloribus curis molestiis — id quod maxime expetitur — sensu eos carere oportet, cum qui sentit aeque sentiat mala ac bona.

[1]) Documento sit illud „ignorabimus“, quod unus ex nobilissimis et clarissimis nostrorum temporum philosophis, Hermannus *Lotze*, professus est in cap. V. lib. II. vol. I. operis, cuius inscriptio est: Mikrokosmus. Ideen zur Naturgeschichte und Geschichte der Menschheit. 3. Aufl. Leipzig 1876.

Sed quid est animus deficiente sensu? Nonne cultri similis esse videtur hebetis et manubrio carentis? Non omnino nullus est, cum ex sensus intentione pendeat vigor animi? Itaque ut sint simulque felices sint mortui si non bonorum suppeditatione tamen vacuitate malorum, aut id quod ἀπάθεια vel ἀταραξία a Stoicis vocatur iis condonandum aut beatitudo attribuenda est perfecta. Utrumque autem a dogmatis, non ab ipsa ratione originem ducit; illud a philosophis ad beate vivendum praeceptum nihil aliud est nisi postulatum, cui plane perfecteque satisfacere idem est ac vitam dediscere; hoc ita excedit vitam mera gaudia nemini praebentem, ut aut ad poetarum visiones aut ad doctrinam a deo per interpretem quendam traditam referendum sit. Verum haec mittamus — nec licet nec conducit scalpello uti in fictis cogitando excultisque desiderando imaginibus aura subtilioribus[1]). Iam ab iis, quae ultro manare videntur ex ipsa relationis inter vitam et mortem intercedentis informatione, dummodo naturaliter et principaliter concepta sit, ad Graecorum revertamur sententiam ac rem propositam, hoc unum pro vero certoque ducentes, ab inepto et vix excusando errore proxime afuturum quicumque in ea liberam inventionem atque absolutam excogitationem idem aut ullo modo simile quicquam valere censuerit ac apud populos feros barbaros incultos, quorum permirae persuasiones exstant in libris diurnisque ad ethnologiam et psychologiam gentium quam vocant pertinentibus[2]).

Opinionum igitur de mortuorum condicione, si ad eam, quam *Homerus* nobis tradidit, explicandam aggredimur, non tam inter Iliadem et Odysseam quam inter ea ipsa, quae in utroque reperiuntur carmine, miram quandam animadvertimus discrepantiam, quae et maximi habita est momenti in origine carminum *Homeri* constituenda et imprimis efficit, ut diver-

[1]) cf. *Lange* l. c. II^3. praefat.

[2]) ex quorum copia cf. *Bastian*, Der Mensch in der Geschichte. vol. II. Psychologie und Mythologie. Leipzig 1860. pag. 304 sqq.

sissimae de opinione poetae in quaestione mota ferantur sententiae. Inveniuntur enim, qui eum esse statum mortuorum apud *Homerum* velint, ut animi immortalitas neganda sit — his *Lehrsii*[1]) succurrit auctoritas — non desunt quoque, qui vitam futuram ponendam esse putent[2]), sunt denique et ii plerique, qui cum in poetae carminibus utriusque sententiae exstare videantur adminicula, neutram quasi exploratam sequendam esse censeant. Quare non mirum est, semel atque iterum id egisse viros doctos, ut illius discrepantiae quam maxime tollendae studiosi certam et congruentem *Homeri* opinionem efficerent — *Nitzschium*[3]) profero, sed aliorum quoque laudare licet commentationes[4]) — ita tamen, ut aut locos iniquos alienis verbis vitiatos esse pro necessitate saepius quam ratione et via conicerent aut poetae verba ad voluntatem et violenter interpretarentur aut nova eaque absurda de animi natura comminiscendo vim inferrent non modo psychologiae sed cuivis disciplinae philosophiae[5]). Eiusmodi peccata vitans omnes difficultates mea quidem sententia et iudicii subtilitate et ingenii elegantia sustulit *Kammerus* in libro, quem inscripsit „Die Einheit der Odyssee[6]). Ut enim ea persuasione, quam *Lehrsii* auctoritate nitens de carminum *Homeri* origine profitetur l. c. pagg. 388—403, toti quae dicitur quaestioni Homericae medicinam affert utilissimam, sic iis, quae de mortuorum condicione

---

1) l. c. pag. 303 sq.

2) ut permiro utar exemplo ex eorum numero Ferd. *Spielmannum* profero, cuius commentatio „Unsterblichkeit und künftiges Leben nach Homers Epen" inest in: Drittes Programm des F. B. Knaben-Seminars der Diöcese Brixen. 1878. Ibi legitur pag. 24: „Im Homer wird somit die individuelle Unsterblichkeit gelehrt, nicht die persönliche und noch weniger die ideale."

3) in tertio praesertim volumine lib. cit.

4) ex his affero: „Quid Homerus de rebus infernis censuerit". Abhandlung des Prof. Dr. *Hammer*. Inest in: Einladungsschrift zu den öffentlichen Schulprüfungen im Herzogl. Francisceum zu Zerbst. 1867.

5) cf. *Warmboldii* comment. s. c. pag. 15: „Bei Homer war die Seele nur das Princip des animalischen, nicht des geistigen Lebens" etc. etc. etc.

6) Leipzig 1873.

Homerica disserit in duabus necyiis quas vocant tractandis[1]) non modo novam sed quae una etiam per rationem admitti possit viam ad poetae opinionem aggrediendi aperit, ita ut animum subiret quod in proverbio est de ovo Columbi, nisi tam simplicem tamque naturalem interpretationem non iam pridem esse institutam ad unam revocandum esset causam eamque minime neglegendam: priorum errores ut saepe fit si non aptum reddiderunt posteriorem, qui recta via pergeret, at tamen in asperitatibus itineris superandis aliquantum adiuverunt. Quare in explicando mortuorum apud *Homerum* statu facere non possum, quin duce utar perspicua *Kammeri* sententia[2]).

---

[1]) l. c. pagg. 474 sqq., 705 sqq.

[2]) Ervinus *Rohdeius* etsi ad Homeri de inferorum persuasionem spectans dicit: „Von einem «unsterblichen Leben» dieser Seelen zu reden, mit alten und neueren Gelehrten, ist unrichtig. Sie leben ja kaum mehr als das Bild des Lebenden im Spiegel; und dass sie ihr schattenhaftes Abbilddasein auch nur ewig fortführen werden, wo stünde das bei Homer?“ (l. c. pag. 10), tamen *Kammeri* sententiam his reicit verbis: „Befremdlich ist es, dass neuerdings hat behauptet werden können, es zeige sich auf irgend einer Stufe der Entwicklung homerischer Dichtung der Glaube, dass mit dem Augenblick des Todes alles zu Ende sei, nichts den Tod überdaure. Keine Aussage in den beiden homerischen Gedichten (etwa in deren ältesten Teilen, wie man meint), auch nicht ein beredtes Stillschweigen berechtigt uns, dem Dichter und seinem Zeitalter eine solche Vorstellung zuzuschreiben.“ (l. c. pag. 2 sq.). Equidem nec tantopere eum dissentire a *Kammero* quod attinet ad Homerum puto nec persuasum habeo sequendam esse doctrinam quam aperit. Etenim exstitisse sentit apud populum ante Homerum de vi quadam atque efficacitate mortuorum persuasionem, id quod pressis verbis declarat l. c. pag. 34: „Durch den Augenschein bestätigt sich also, was aus Homers Gedichten nur mühsam erschlossen werden konnte: es gab eine Zeit (sc. ante Homerum), in der auch die Griechen glaubten, dass nach der Trennung vom Leibe die Psyche nicht gänzlich abscheide von allem Verkehr mit der Oberwelt, in der solcher Glaube auch bei ihnen einen Seelencult, auch über die Zeit der Bestattung des Leibes hinaus, hervorrief, der freilich in homerischer Zeit, bei veränderter Glaubensansicht, sinnlos geworden war.“ Quam sententiam si probari putat sepulcrorum nuperrime Mycenis et alibi in Graecia inventorum situ statuque (l. c. pag. 31 sqq.), dubitari potest et de exstructionis eorum tempore scilicet antehomerico et de populi exstruentis cum Homeri Graecis propinquitate. Firmari eam more mortuos cremandi si coicit,

Haec autem non ut fieri solet inde proficiscitur, ut pri-

---

quippe qui ex cautione et timore originem ducat hominum, ne inquietentur a mortuis — cf. l. c. pag. 30: „Aber als man sich zuerst der Feuerbestattung zuwandte, da muss man das, was die Vernichtung des Leibes in Zukunft verhüten sollte, doch wohl gefürchtet haben. Die man so eifrig nach dem unsichtbaren Jenseits abdrängte, die Seelen, muss man als unheimliche Mitbewohner der Oberwelt gefürchtet haben. Und somit enthält auch die Sitte des Leichenbrandes (mag sie woher auch immer den Griechen zugekommen sein) eine Bestätigung der Meinung, dass einst ein Glaube an Macht und Einwirkung der Seelen auf die Lebenden — mehr Furcht als Verehrung — unter Griechen lebendig gewesen sein muss, von dem in den homerischen Gedichten nur wenige Rudimente noch Zeugnis geben.“ —, equidem alias puto eius moris causas esse probabiliores. Ex ipsis autem Homeri carminibus, quoad opus unius temporis uniusque ingenii sunt, colligi posse vel minima doctrinae *Rohdeii* indicia sine ulla dubitatione negaverim. Itaque si *Rohdeius* dicit l. c. pag. 14: „Es fehlt in den homerischen Gedichten nicht an Rudimenten eines einst sehr lebhaften Seelencultes. Vor allem ist hier dessen zu gedenken, was die Ilias von der Behandlung der Leiche des Patroklos erzählt. Man führe sich nur die Hauptzüge dieser Erzählung vor das Gedächtnis.“ et l. c. pag. 16 sq.: „Der ganzen Erzählung liegt die Vorstellung zu Grunde, dass durch Ausgiessung fliessenden Blutes, durch Weinspenden und Verbrennung menschlicher und tierischer Leichen die Psyche eines jüngst Verstorbenen erquickt werden könne.“, ex mea quidem Homeri interpretatione nihil sequitur, quod ut accedatur eius opinioni cogat. Nam funebres agere caerimonias, iusta facere, sanguinem vel vinum effundere, amphoras mellis et olei plenas in rogum imponere, haec omnia non omnino abhorrent a persuasione, nihil esse mortuos, nunquam quicquam fuisse. Cetera, quibus multum tribuit *Rohdeius*, concidunt, cum diligentius examinentur. Legimus apud eum: „Selbst das abgeschnittene Haar, dem Toten auf den Leib gestreut, in die starre Hand gelegt, ist eine Opfergabe, hier so gut wie in späterem griechischen Cultus und in dem Cultus vieler Völker. Ja ganz besonders diese Gabe, als symbolische Vertretung wertvollen Opfers durch einen an sich nutzlosen Gegenstand (bei dessen Darbringung einzig der gute Wille geschätzt sein will) lässt, wie alle solche symbolische Opfergaben, auf eine lange Dauer und Entwicklung des Cultes, dem sie eingefügt ist, hier also des Seelencultes in vorhomerischer Zeit schliessen.“ (l. c. pag. 16); apud Homerum Achillem invenimus loquentem:

„Σπερχεί’, ἄλλως σοίγε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεὺς,
κεῖσέ με νοστήσαντα φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν
σοί τε κόμην κερέειν ῥέξειν θ’ ἱερὴν ἑκατόμβην,
πεντήκοντα δ’ ἔνορχα παρ’ αὐτόθι μῆλ’ ἱερεύσειν

mum quaeratur, quid sit ψυχή θυμός φρένες νοῦς[1]), quia horum vocabulorum significationem curare parum proficit in re pro-

ἐς πηγάς, ὅθι τοι τέμενος βωμός τε θυήεις.
ὣς ἠρᾶθ' ὁ γέρων, σὺ δέ οἱ νόον οὐκ ἐτέλεσσας.
νῦν δ' ἐπεὶ οὐ νέομαί γε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
Πατρόκλῳ ἥρωϊ κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι."

(Ψ 144—151), quae ad verba poeta addit:

„Ὣς εἰπὼν ἐν χερσὶ κόμην ἑτάροιο φίλοιο
θῆκεν, τοῖσι δὲ πᾶσιν ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο."

(Ψ 152—153). Nonne *Rohdeius* plura Homero ascribit quam apud eum invenit? Non magis poetae auctoritate confirmatur *Rohdeii* exclamatio: „Und nicht etwa zur Stillung der Rachbegier des Achill werden hier, das Grausigste, Menschen geschlachtet: zweimal ruft Achill der Seele des Patroklos zu, ihr bringe er dar, was er vordem ihr gelobt habe (Il. 23, 20 ff. 180 ff.)." (l. c. pag. 15). At Ψ 20 nihil aliud invenimus nisi:

„πάντα γὰρ ἤδη τοι τελέω τὰ πάροιθεν ὑπέστην"

atque idem Ψ 180. Contra Σ 333 sqq. leguntur:

„νῦν δ' ἐπεὶ οὖν, Πάτροκλε, σεῦ ὕστερος εἶμ' ὑπὸ γαῖαν,
οὔ σε πρὶν κτεριῶ, πρίν γ' Ἕκτορος ἐνθάδ' ἐνεῖκαι
τεύχεα καὶ κεφαλήν, μεγαθύμου σοῖο φονῆος·
δώδεκα δὲ προπάροιθε πυρῆς ἀποδειροτομήσω
Τρώων ἀγλαὰ τέκνα, σέθεν κταμένοιο χολωθείς."

Quomodo concinere possunt illud *Rohdeii* „nicht etwa zur Stillung der Rachbegier des Achill" et hoc *Homeri* „σέθεν κταμένοιο χολωθείς"? Denique si *Rohdeius* ad Patrocli iusta funebria spectans dicit: „Nach so heftiger Erregung aller Empfindungen sollten die überspannten Kräfte nicht auf einmal zusammensinken; noch ein letzter Rest des übermenschlichen Pathos, mit dem Achill unter den Feinden gewütet hat, lebt sich in der Ausrichtung dieses greuelvollen Opfermahles für die Seele des Freundes aus. Es ist als ob uralte, längst gebändigte Roheit ein letztes Mal hervorbräche." (l. c. pag. 18), cur non licuerit ad id, quod ipse „übermenschliches Pathos" appellat, revocare mirificum quendam colorem totius descriptionis? Haec habui, quae *Rohdeii* doctrinae opponerem.

[1]) Ceterum e vi usuque horum vocabulorum „psychologiam" efficere Homericam haud scio an et magniloquentiae sit et rectae obsit perceptioni rei ad philologiam pertinentis. Quantum obfuerit *Naegelsbachio,* viro alioquin de studiis Homericis optime merito, expedite apparet e libri, quem inscripsit „Homerische Theologie", cap. VII. § 16 sqq. Contra psychologiae Homericae rationem apte ac dilucide demonstravit Ervinus *Rohdeius* l. c. pag. 4 sq.

posita, sed opinione nitens accurate cognita, quam poeta in universum profitetur, dubios obscurosque locos *Kammerus* ita illustrare atque interpretari studet, ut cum ea iis convenientia ac consensio sit. Docet igitur, cum nunquam in *Homeri* carminibus ceteroquin omnes illius aetatis cogitationes sensusque verissime reddentibus ulla exstarent vitae post mortem quamvis somniculose actae vestigia, quae in probabilem dubitationem vocari non possent, vitam futuram negandam esse aetate Homerica eamque sententiam argumentis confirmans et evidentibus et potentissimis opinionum *Homeri* de inferis nascentium crescentium vigentium causas persequitur, rationem explicat, vim perpendet[1]. Tamen, quamvis rem acu tetigerit *Kammerus*, unum est, quod ei plane assentiri non possum. Mortuos apud *Homerum* quovis vitae modo carere et *Kammeri* argumenta et propria temporibus Homericis huius lucis aestimatio[2], de qua supra disserui, mihi demonstrare videntur itemque probandam existimo rationem, qua *Kammerus* somniantis Achillis visum (Ψ 65 sqq.) et primam necyiam tractat[3]:

---

[1]) l. c. pag. 510 sqq.

[2]) cf. *Teuffel* l. c. pag. 33: „Wenn aber die sittliche Weltordnung ihr Dasein und ihre vollständige Erfüllung im wirklichen Leben hat, so führt kein ethisches Postulat auf die Annahme einer Fortsetzung des individuellen Lebens nach dem Tode und ebensowenig ist eine solche Annahme individuelles Bedürfnis" etc. — Arthur *Jung*, De homine Homerico, l. c. pag. 17: „Nec mirum videtur, quod iis, quorum vita magno rerum gerendarum studio transigebatur, animus, si viribus corporis vacaret, instar meri somnii erat. Huc accedit, quod id genus hominum neque asperitate coeli fatigatum neque adversa fortuna fractum erat, sed tanta alacritate in diem vivebat, ut morte, cuius μελέτη posteris demum temporibus ad philosophandum homines duxit, minus angeretur."

[3]) l. c. pag. 536 sqq. *Kammerus* initium primae necyiae sua opinione digestum atque compositum profert. Quem etsi sequendum esse ordinem et ipse censeo, tamen unum habeo quod moneam. *Kammerus* enim non desiderans ut in re cogitationis ubertate tantum inventa non ipsis sensibus comprehensa causae descensus Ulixis declarationem versui κ 491 adnectit versum κ 496, cum equidem inter hos versus lacunam quamvis parvam coniciam. Nam si Circe Ulixi ut sibi suisque ex promisso reditum pararet precanti nihil aliud responderet nisi: „ne inviti manseritis domi meae; antea autem vobis in Orcum proficiscendum est", breviloquentia esset ab epico

nullam puto ab eo relictam esse dubitationem, quin poeta de inferis non tam discrepantes inter se sequatur sententias vel ceterum ubique in carminibus constantes nonnullis locis consulto corrigat aut temere commutet, quam integro quibus utitur persuasionum consensu praeter opiniones, de quibus penitus persuasum habet, interdum cogitata proferat vi sui ipsius ingenii poetica. Quod autem eius rei *Kammerus* ita exponit causam, ut dicat l. c. pag. 514: „aber vor dem dunkeln Reich des Todes bebte der alles plastisch gestaltende Sinn des Griechen nicht zurück, er fühlte sich vielmehr angezogen auch dieses zu beleben, menschliches Dasein in dasselbe zu verpflanzen. Dieses «Werde» sprachen die ihrer Zeit voraneilenden, mit ausserordentlichem Künstlerinstinkt begabten, mit reichster Gemütswelt erfüllten Dichter — und eine reiche Schöpfung entsprang. Man kann in den beiden Epen die Entwickelung beobachten, wie aus ganz kleinen hie und da aufspriessenden Keimen zuletzt eine herrliche Saat entsteht", equidem paulo aliter censeam. Cum *Kammero* poetae inventioni tribuo Ulixis descensum in Orcum, poetae arti illum sermonem, quem ibi cum umbris principum Achivorum instituit filius Laertis, poetae pietati Patrocli speciem nocturnam, qua gravissime commovetur Achilles, ita tamen, ut non ludat *Homerus*, non rem vi ingenii sola omnino fictam promat simili modo ac *Pindarus*, qui divino quodam instinctu concitatus lyricoque ardore inflatus ubertate utitur in inferis depingendis opiniones aetatis suae aliquanto excedente[1]), sed ut primus nobis planis atque

---

poeta quod sciam aliena, auditori subducens clausulam. Itaque haec fere addidisse Circen opinor: „ita enim dei immortales volunt; quod si feceritis reversos dimittam vos in patriam, postquam pericula in reditu vobis imminentia praedixero" hisque verbis locum fuisse post κ 491.

[1]) cf. carm. Olymp. II. et frg. 129—133 (ex Theod. Bergkii ed. IV. poet. lyric. Graec. vol. I. Pindari carmina contin. Lipsiae 1878.). Poetarum scaenicorum Aeschyli Sophoclis Euripidis descriptiones Orci et inferorum decolores fiunt cum Pindaricis collatae. Nimirum Horatii illud:

„monte decurrens velut amnis, umbres
quem super notas aluere ripas,
fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore."

plenis verbis exprimat, quod animo quamvis obscure confuseque sentire illo tempore non nemo potuit: poeta cum vulgaribus neglectis persuasionibus suae indoli indulget, opinionum commutationis sensim sine sensu orientis praeconium exercet. Meminerimus, *Homeri* carmina, sive extrema orta sunt aetate heroica sive temporibus non iam fide historica carentibus tribuenda, in transitu quodam versari, in limine collocata esse eius aetatis ad cuius miras transfigurationes pertinet *Lehrsii* illud supra prolatum: „Welche Veränderung ist in diesen Jahrhunderten eingetreten“ etc. — qua recordatione uti in aliis quoque opinionum poetae discrepantiis tollendis mirum quantum prodest[1]) —, num mirabimur, quod iam inveniuntur in iis prima illius commutationis indicia? Itaque si Achilles Hectore occiso dicit:

κεῖται πὰρ νήεσσι νέκυς ἄκλαυστος ἄθαπτος
Πάτροκλος· τοῦ δ' οὐκ ἐπιλήσομαι, ὄφρ' ἂν ἐγώ γε
ζωοῖσιν μετέω καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.
εἰ δὲ θανόντων περ καταλήθοντ' εἰν 'Αίδαο,
αὐτὰρ ἐγὼ καὶ κεῖθι φίλου μεμνήσομ' ἑταίρου

(X 386 sqq.), si proelio facto super intimi corpus prostratus exclamat:

χαῖρέ μοι, ὦ Πάτροκλε, καὶ εἰν 'Αίδαο δόμοισιν·
πάντα γὰρ ἤδη τοι τελέω τὰ πάροιθεν ὑπέστην,
Ἕκτορα δεῦρ' ἐρύσας δώσειν κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι,
δώδεκα δὲ προπάροιθε πυρῆς ἀποδειροτομήσειν
Τρώων ἀγλαὰ τέκνα, σέθεν κταμένοιο χολωθείς.

(Ψ 19 sqq.) et in iustis amici funeri solvendis:

χαῖρέ μοι, ὦ Πάτροκλε, καὶ εἰν 'Αίδαο δόμοισιν·
πάντα γὰρ ἤδη τοι τελέω τὰ πάροιθεν ὑπέστην.
δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλούς,
τοὺς ἅμα σοὶ πάντας πῦρ ἐσθίει· Ἕκτορα δ' οὔτι
δώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν, ἀλλὰ κύνεσσιν.

---

[1]) velut in quaestione de potestatis regiae ambitu apud Homerum, qui modo latissimus esse modo perangustus videtur, cf. *Naegelsbach,* Homerische Theologie[3]. § 188 sqq., et *Curtius,* Griechische Geschichte[5]. I. pag. 135 sq.

(Ψ 179 sqq.), si, postquam patris maerore luctuque mitigatus Hectorem Troianis sepeliendum reddidit, Patroclum his verbis alloquitur:

> μή μοι Πάτροκλε σκυδμαινέμεν, εἴ κε πύθηαι
> εἰν Ἄϊδός περ ἐὼν ὅτι Ἕκτορα δῖον ἔλυσα
> πατρὶ φίλῳ, ἐπεὶ οὔ μοι ἀεικέα δῶκεν ἄποινα.
> σοὶ δ' αὖ ἐγὼ καὶ τῶνδ' ἀποδάσσομαι ὅσσ' ἐπέοικεν.

(Ω 592 sqq.), Achillem ita loquentem facere poetae est — quod autem potest poeta Achillem ita facere sentientem non ad poeticam visionem sed ad ipsam vitam referendum. Nam licet incertum sit, ab unius poetae an complurium an totius aetatis divino quodam afflatu *Homeri* carmina originem ducant: aetatis ipsius speciem iis reddi, non informi ut ita dicam aetati poetam suam impressisse formam sic constare mihi videtur, ut in dubium vocari non possit. Quam delicata igitur pietate *Kammerus* dixerit l. c. pag. 515: „Die Freundschaft aber ist die das Graun des Todes überwindende Macht, mittelbar also das diese Regung in ihrem Adel und mit solcher Stärke erfassende Gemüt des Dichters, der über die gestaltlosen Vorstellungen des Volkes mit ahnender Seele sich erhebend zwischen Leben und Tod die Brücke schlug und mit freundlichem Sinne zwischen den durch den Tod getrennten Lieben den Verkehr anbahnte", facere non possum, ut hanc opinionem tamquam probatam prorsus sequar. Nam et amicitiae specimen singulare et praesagiens poetae animus meo quidem iudicio ut ad transitum inter vitam et mortem stabiliendum valida ita ad procreandum parandumque infirmiora sunt, quippe cuius vel minima nunquam alibi deprehendi possint primordia, nisi in vulgaribus persuasionibus; quas etsi ex singulorum exsistere constat, tamen non idem esse ac singularium singulas haud dubie concedendum est. Etenim quod unus aliquis persuasum habet, sive ab alucinando proficiscitur sive mente excogitatum est sagaci, per se nihil valet; valet facile, quod plures, etiamsi argumentis caret et demonstrationibus. Vulgarium igitur persuasionum commutatio nisi ab aetate ipsa in commutationem declivi non est repetenda.

Neque vero tangitur hac re sententia de mortuorum condicione apud *Homerum:* mortui nihil sunt, ita nihil, ut aliquid fieri possint, tamen omnino nihil. Nullus igitur sensus, nulla vis, nullus cum vivis usus aut consuetudo, nullus denique vitae modus iis tribuenda sunt, aeque carent praemiis ac poenis pristinorum factorum[1]). Duos autem qui exstant locos in Iliade huic opinioni repugnantes iique non suspecti Γ 276 sqq. et T 258 sqq. ita interpretandos esse puto, ut tollatur dissensio. Quod iam *Nitzschius* conatus est[2]), non ea tamen confidentia, ut quaestionem dissolveret. In iureiurando enim Agamemnonis T 258 sqq.:

ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα, θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος,
γῆ τε καὶ ἠέλιος καὶ ἐρινύες, αἵ θ' ὑπὸ γαῖαν
ἀνθρώπους τίνυνται, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ

voce „ὑπὸ γαῖαν“ non ad „τίνυνται“ sed ad „αἵ“ h. e. ἐρινύες constructa facile et simpliciter nodum expedit. Γ 276 sqq. autem, ubi Atrides iurat:

Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε μέγιστε,
ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις
καὶ ποταμοὶ καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

rem in medio relinquit *Nitzschius.* Dicit enim. l. c. pag. 185: „Ist καμόντας die ursprüngliche Leseart, so haben wir freilich hier ein vereinzelt stehendes Zeugnis von der Vorstellung einer Büssung nach dem Tode. Aber der gesamten Homerischen Empfindungs- und Denkweise ist es gewiss angemessener, das Urteil, welches den Meineidigen treffe, auf das Leben und seine Güter zu beziehen, so dass erst eine spätere Zeit die Lesart gebracht hätte, καμόντας, die nun eine Büssung nach dem Tode bezeichnet. Ist dem nicht so, dann ist es doch

---

[1]) Melioris cuiusdam post mortem status apud Homerum ne flocci quidem floccum inveniri vix est quod commemorem. Qui δ 561 sqq. Elysii dicuntur incolae Menelaus et Rhadamanthus, alter gener alter filius Iovis, ob hanc ipsam propinquitatem in campum aeternae felicitatis prope ab ultimis terris situm vivi sunt remoti.

[2]) l. c. vol. III. pag. 184 sqq.

nur die geschärfte Verwünschung, welche nach unausgebildeter Vorstellung den Meineidigen auch noch nach dem Tode und als Schatten den unterirdischen Mächten zur Misshandlung und Qual preisgab. Übrigens ist und bleibt Nichtigkeit das Wesen der Verstorbenen bei Homer." Hac concessione quamvis restricta usus *Naegelsbachius*[1]) non tam exsecrationem acrius pronuntiatam quam poenae periurii vel a mortuis repetitae opinionem illis versibus Γ 276 sqq. contineri docet atque etiam non secus ac si probasset sententiam suam coniungendum T 258 sqq. ὑπὸ γαῖαν cum τίνονται sumit l. c. pag. 403 sq. *Hammerus* denique, cuius supra (pag. 24 adn. 4) protuli commentationem, quaestione non denuo examinata utrasque sententias et *Nitzschii* et *Naegelsbachii* laxe inter se conexas refert l. c. p. 23. Cum autem ab ea quam supra professus sum opinione de mortuorum statu apud *Homerum* et opinio poenae periurii a mortuis expetitae et imprecatio eius poenae quamvis irrita plane discrepet, facere non possum, quin propter vocabulum „καμόντας" versum Γ 278 vitiatum esse censeam. Cuius coniecturae probabilitas augetur, quod duos e ceteris tribus locis, quibus in *Homeri* carminibus καμεῖν pro θανεῖν invenitur, suppositos esse veri est simillimum[2]), tertio autem, λ 476 βροτῶν εἴδωλα καμόντων, voce καμεῖν, quae dubito an idem declaret ac latino sermone „defunctum esse" lene quiddam placatumque continetur, quod parum convenire existimem ad futurae vindictae significationem, quae inest in Γ 278 sq. ut nunc legitur. Itaque reiciendum esse hoc loco „καμόντας" ponenti liceat mihi pro „οἳ ὑπένερθε καμόντας" lectionem commendare „οἳ ὑπένερθεν ἐόντε(ς)", cui haud scio an nihil obstet; adverbio enim plerumque ad verbum pertinenti coniunctionis cum substantivo aut pronomine efficiendae causa participium apponere

---

[1]) Anmerkungen zur Ilias. 3. Aufl. bearbeitet von Autenrieth. Nürnberg 1864.

[2]) εἴδωλα καμόντων ω 14 et Ψ 72. Eam postremi Odysseae libri partem, quae ψυχοπομπία vocatur, non attribuendam aetati Homericae sed aliquanto post ortam esse viri docti consentiunt. Versus Ψ 71—74 non genuinos esse *Hammerus* coniecit l. c. pag. 19, *Kammerus* argumentis haud neglegendis confirmasse mihi videtur l. c. pag. 503 sqq.

verbi εἶναι nec supervacaneum est nec notandum, cum eiusmodi appositionis exempla inveniantur apud *Homerum* vel ad verbum pertinente adverbio, ut ὤρνυον ἔνδον ἐόντες (M 412), ἐνθάδ' ἐόντες ἐμισγόμεθ' (δ 178), ἐνθάδ' ἐόντες ὁμιλέομεν (N 779), nec minus ad nomen, ut αὐτοὶ ἀκούετε νόσφιν ἐόντες (γ 193), περιναιέται ἀμφὶς ἐόντες τείρουσ' (Ω 488)[1]). Sed sive probabilis est coniectura mea, sive non probabilis: non exstare in *Homeri* carminibus, non fuisse notam aetati Homericae poenae post mortem ac ne periurii quidem poenae opinionem sine ulla dubitatione confirmaverim[2]).

Ad tragicorum nunc si animum convertimus de mortuorum condicione opiniones, eandem reperimus inter eos et *Homerum* distantiam, quam sententias de vitae pretio ac dignitate comparantes supra cognovimus. Ut igitur propria vitae aestimatio aetate Homerica permagna magnopere deminuta invenitur apud *Aeschylum* et *Sophoclem* atque etiam magis apud *Euripidem,* ita nihil illud, in quod apud *Homerum* mortui recidunt, tragicorum temporibus factum esse aliquid et quasi in dies augescere videmus.

Cuius rei *Aeschylus* gravissima praebet documenta. An ullo modo mortuis sensum esse quin etiam conscientiam quandam melius demonstrari potest, quam illa eius trilogia, quae Orestea inscribitur? Nonne totum huius argumentum ea opinione continetur? Etsi enim Orestes cur matricidium suscepturus sit Choeph. vs. 298 sqq. ita exponit causam:

πολλοὶ γὰρ εἰς ἓν συμπίτνουσιν ἵμεροι,
θεοῦ τ' ἐφετμαὶ καὶ πατρὸς πένθος μέγα,
καὶ πρὸς πιέζει χρημάτων ἀχηνία —

---

[1]) praeterea cf. θεοὶ Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες Ξ 274 O 225.

[2]) Facere non possum quin dissideam ab ea quam *Naegelsbachius* in libro, quem inscripsit „Homerische Theologie", (ed. III. cur. Autenrieth. Norimbergae 1884) cap. VII. §§ 27—29 cum de tota inferorum apud Homerum condicione tum de hac re aperit sententia. Ut enim id, quod „Versuch einer pragmatischen Entwickelung des homerischen Glaubens über das Jenseits" appellat (pag. XXX l. c.), ex eius de Homeri carminum origine, de aetatis Homericae statu, de hominum natura persuasionibus nascitur, ita ex ea quam in tota quaestione tractanda non temere ingressus sequor ratione mea manat opinio. Rationum igitur distantia discrepantiae origo.

seque iussum esse ab Apolline deo facinus in se admittere Choeph. vs. 265 sqq. imprimis commemorat atque explicat, tamen habeo quod putem, ipsum consilium, quo ad ultionem a matre petendam filius impellitur, versibus significari Choeph. 505 sq.:

ἄκου', ὑπὲρ σοῦ τοιάδ' ἔστ' ὀδύρματα.
αὐτὸς δὲ σώζει τόνδε τιμήσας λόγον [1]).

Neque enim mea quidem sententia hic locus — id quod facile quispiam collegerit ex versibus praecedentibus, quorum summa est: etsi mortuus es, tamen in liberis vivis — ita intellegendus est, ut dicat poeta: auxilio ferendo cum nos servaveris, ipse in nobis servatus eris, sed sic, ut exprimatur: apud inferos tuo ipsius commodo inservies, si nobis auxilium feres. Nam Choeph. vss. 343—358 Orestem chorumque invenimus optare: utinam Agamemno pugnans ante Troiae moenia pulchram occubuisset mortem! et liberis enim et sibi ipsi ita optime consuluisset, liberis, quia ad eos honor redundaturus fuerit ex patris gloria, sibi, quia apud inferos eadem ei quae vivo obtigisset dignitas atque auctoritas. Quocum voto si conferimus responsum illud, quod ab *Sophoclis* Electra chorus fert, post-

[1]) Sic *Weilius,* qui Oresti versus tribuit. *Hermannus* locum Electrae adiudicans legit:

ἄκου'· ὑπὲρ σοῦ τοιάδ' ἔστ' ὀδύρματα·
αὐτὸς δὲ σῶζε. τόνδε τιμήσας λόγον,
τίμημα τύμβου τῆς ἀνοιμώκτου τύχης.

tertio versu adiecto. Sed *Weilii* σώζει (ita iam *Porsonus* pro librorum σώζῃ) praeferam, quia poetam puto intellegi velle: te ipsum servabis, si nos adiuvabis; σῶζε cet. autem significaret: preces nostras curans honorem tumuli tui serva, i. e. qui honorent i. e. nos, liberos tuos. Ceterum *Hermannum* σώζει in σῶζε ideo tantum commutasse, ut aptius conecteretur versus sequens, ex opusc. vol. II. pag. 78 sq. apparet, ubi illo versu nondum transpositione applicato σώζει nullam ei movet suspicionem. — Ob eandem causam, quippe qui summam contineant manium patris evocationis, versus Oresti potius strenuo vindici tribuendos puto quam infirmae virgini non iam in scaenam prodeunti, *Weilii* (cf. adnot. ad vss. 500—506) quod a concinnitatis ratione petit argumento non neglecto. Tertium denique versum τίμημα τύμβου cet. cum *Weilio* chori partibus post vs. 507 ascribo, recepta pro *Hermanni* ἀνοιμώκτου illius coniectura πανοιμώκτου.

quam virginem nuntio de fratris obitu accepto lamentantem consolaturus causa tristitiae eius alia pro alia habita honorificae Amphiarai regis in Orco condicionis meminisse iussit:

οἶδ' οἶδ'· ἐφάνη γὰρ μελέτωρ
ἀμφὶ τὸν ἐν πένθει· ἐμοὶ δ' οὔ τις ἔτ' ἔσθ'· ὃς γὰρ ἔτ' ἦν
φροῦδος ἀναρπασθείς.

(Sophocl. Elect. 846 sqq.), apparet: ut Amphiaraus eadem qua in vita dignitate regia mortuus idcirca solum fruitur, quia poena caedis ab scelesta coniuge exacta est, ita tum demum futurum esse, ut Agamemno debito ab inferis afficiatur honore, ubi quis mortem eius ultus atque persecutus erit. Filius igitur patris caedem ulciscens deminutam regis auctoritatem restituit, pater autem filium ulciscentem adiuvans suae saluti optime consulit. Neque sententia mea dissolvitur, quia praeter unum illum locum nullus exstat, quo comprobetur, cum iussu Apollinis Orestem agere saepius et imprimis commemoretur. Non ideo enim, ut nulla alia ratione habita satisfieret iustitiae, originem ex aequitatis cogitatione non ex pietatis affectione ducenti, caedis poenas deus repeti iusserat, quippe qui probe sciret, summum ius interdum esse summam iniuriam, sed ut ei subveniretur, qui quo facinore necatus erat eodem mortuus laborabat. Itaque ut miserae patris inulti apud inferos condicioni medeatur filius matrem interficit.

Quomodo autem Choephororum argumentum ab Orestis studio patris in Orco honestandi proficiscitur, sic Eumenides quae inscribitur fabula inde ortum repetit, quod Clytaemnestrae umbra Furias ad percussorem persequendum atque ulciscendum stimulat, ne qui par est honor ab inferis sibi negetur, quoniam nece perierit inulta[1]).

---

[1]) Necessario ita intellegendos ratus Eum. vs. 96 sqq. facere non potui, quin paulum commutarem lectionem usurpatam, non quo meae interpretationi succurrerem, sed quia rectae usque adhuc intelligentiae obfuisse in promptu est quem laborare locum iam dudum apparuit. Legitur apud *Weilium:*

εὕδοιτ' ἄν, ὠὴ, καὶ καθευδουσῶν τί δεῖ;
ἐγὼ δ' ὑφ' ὑμῶν ὧδ' ἀπητιμασμένη

Atque haec quidem de Oresteae argumento, iam alia afferamus sensus mortuis apud *Aeschylum* tributi testimonia. Nonne

ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν, ὧν μὲν ἔκτανον
ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται,
αἰσχρῶς δ' ἀλῶμαι· προὐννέπω δ', ὑμῖν ὅτι
ἔχω μεγίστην αἰτίαν κείνων ὕπερ·
παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων
κ. τ. λ.

Addubito de „ὧν μὲν ἔκτανον“, quod cum quavis tolerabili sententia loci repugnat. Librorum „ὡς μὲν ἔκτανον“ quod retinuerat K. O. *Muellerus* (Aeschylos' Eumeniden griechisch und deutsch mit erläuternden Abhandlungen. Göttingen 1833) contra *Hermanni* reprehensionem non inscite defendit (Anhang zu dem Buche: Aeschylos' Eumeniden etc. Göttingen 1834. pag. 8 sq.), commodo tamen loci nullo, cum *Hermannus* iustissimo ardori nimium cedens re indifferenti impugnata caput intactum reliquisset. Nam „ὡς“ cum *Tyrwhitto* et *Wakefieldio* in „ὧν“ mutandum asseverans *Muelleri* explicationi (Anhang etc. pag. 8): „Dass ich gemordet habe, sagt sie (sc. Clytaemnestra), die Schande geht in der Unterwelt nicht aus; aber für die von ihren Kindern schmachvoll hingemordete Mutter hat keine Gottheit einen rächenden Groll“ hanc opposuit (opusc. vol. VI. part. II. pag. 27; praeterea cf. adnot. ad Eum. vs. 99 in edit. Aeschyl. trag. alt. vol. II. et opusc. vol. V. pag. 351): „Clytaemnestra sagt: der Vorwurf derer, die ich getötet habe, verlässt mich unter den Toten nie und schmählich irre ich umher. Sie beklagt sich, dass sie einsam und verachtet unter den Toten ist, nicht weil jemand von ihr getötet worden, was viele gethan haben, sondern weil von ihr als der Mörderin ihres Gemahls sich Agamemnon und die anderen Schatten abwenden“, nec satis perpendens, ut opinor, num Aeschylo conveniret, Agamemnonem vel Cassandram fingere apud inferos opprobriis perpetuis Clytaemnestram insequentes, nec, si insequuntur, quid esset penitus respiciens, quod ceteris umbris nulla cum illis necessitudine coniunctis despicientiam eius iniceret, nisi caedis ipsius flagitium, ut *Muellero* quoque placuit. Media postremo inter utrumque ratione usus *Weilius* lectionem ὧν receptam genetivum generis neutri non masculini esse voluit, ita ut ὧν μὲν ἔκτανον ὄνειδος idem ei valeret atque ὧν ἔδρασα ὄνειδος. Tamen hoc modo mea quidem sententia nihil proficitur. Nam et *Muelleri* et *Hermanni* et *Weilii* interpretatio loci cum aliam dubitationem affert minime neglegendam, de qua procedente commentatione agetur, tum hanc: si caedis, quam edidit, vel infamia Clytaemnestram omnino non relinquat in Orco vel exprobratio persequatur, vix appareat, cur Furias ad ultionem exigendam tam vehementer incitet, cum caedis in ipsam factae vindicta nec macula nec criminatio caedis, quam fecit ipsa, tolli possit. Quid igitur est, quod turpiter vagandum sit Clytaemnestrae umbrae? quid, quod eam ita

praeditae esse sensu quodam umbrae cogitantur, si Agamemno Choeph. vs. 4 ab Oreste, ut sibi aures praebeat, rogatur et ibid. vs. 150 a choro, ut παιᾶνα τοῦ θανόντος audiat, si Electra patrem alloquitur:

Κλῦθί νυν, ὦ πάτερ, ἐν μέρει
πολυδάκρυτα πένθη.
δίπαις τοί σ' ἐπιτύμβιος
θρῆνος ἀναστενάζει.

(Choeph. 330 sqq.), si ibid. vs. 453 sqq. et vss. 476—506 Orestes et Electra a patre petunt, ut se in opere perficiendo adiuvet, si denominatione quadam ipsi mortuorum tumuli precibus invocantur, ut Choeph. vss. 537 et 709? Quid? quod chorus dicit:

τέκνον, φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει
πυρὸς μαλερὰ γνάθος,
φαίνει δ' ὕστερον ὀργάς·

---

sollicitet, ut dicat v. 117: ἀκούσαθ' ὡς ἔλεξα τῆς ἐμῆς περὶ ψυχῆς? Nihil aliud certe nisi inferorum despicientia, qua afficitur, donec mors eius inulta dimittitur et impunita. Nam et sepulturae institutio et necis ultionis consuetudo ad mortuorum in Orco condicionem, quamquam aliunde repetendum esse earum ortum prorsus constat, tamen naturali quadam cogitatione revocantur, ubi primum vitae futurae persuasio exstitit. Eadem igitur de causa, qua sepulturae plurimum et vel tantum tribuitur, ut in vulgo oriri ferrique possit opinio, insepultos Orci aditu arceri, maximi putatur momenti, imminutam restitui hominum interfectorum apud inferos auctoritatem poena ab noxiis capienda. Quanti enim quisque a vivis aestimatur, tantidem credi eum ab inferis fieri non habet admirationem. Itaque in Orco quem vivi colunt honorari, neglegi quem nihil curant consentanea est persuasio. Clytaemnestrae autem satisfactione carere eo turpius est, quod propter sceleris magnitudinem ipsae Iustitiae deae ministrae vindictam in se susceperunt; ab his neglecta etiam magis in Orco despicitur quam ab hominibus. Merito igitur deabus tarditatem crimini dat, iure iis haec exprobrat: Quid? vos hic altum dormire? Vestra culpa a ceteris umbris despicior, nam contumelia facinoris, quod passa sum, me non liberavistis inter inferos. Quae si dicit Clytaemnestra, patet pro „ὧν μὲν ἔκτανον“ legendum esse „ὧν μὲν δὴ ἔπαθον“, ad quod quia revertitur vs. 102 παθοῦσα cum anacolutho aptissime proponitur; eaque lectione recepta cum *Weilio* vs. 100 „προὐννέπω δ', ὑμῖν ὅτι“ pro vulg. „προὐννέπω δ' ὑμῖν, ὅτι“ et vs. 101 „κείνων ὕπερ“ pro vulg. „κείνων ὕπο“ scribendum, alia tamen sententia, atque *Weilius* adnotat ad vss. 100 sq.: non enim novi sceleris auctores Clytaemnestra Furias vocat, sed despicientiae, qua afficitur, propagationem iis crimini dat.

(Choeph. 322—324), quod coniectores Clytaemnestrae aperiunt:

μέμφεσθαί τοὺς γᾶς νέρθεν περιθύμως
τοῖς κτανοῦσι τ' ἐγκοτεῖν.

(Choeph. 38), quod senes caedem Agamemnonis lamentantes reginam monent, ne coniugi necato iusta faciat, quae impia manu soluta manibus gratia ingrata sint (Ag. 1485 sqq.). Num evidentius autem mortuis sensum et conscientiam tribui demonstrari potest, quam Clytaemnestrae verbis:

ἀλλ' Ἰφιγένειά νιν ἀσπασίως
θυγάτηρ, ὡς χρή,
πατέρ' ἀντιάσασα πρὸς ὠκύπορον
πόρθμευμ' ἀχέων
περὶ χεῖρα βαλοῦσα φιλήσει.

(Ag. 1500 sqq.)?

Sed haec hactenus. Quo facilius enim intellegamus, quomodo *Aeschyli* de mortuorum condicione opiniones ab *Homeri* differant, iam singulas inter se opponamus. Primum igitur *Homerus* mortuos reviviscere posse nescit, ne deorum quidem nothi filii mortem effugiunt aut a morte ad vitam revocantur; *Aeschylus* Aesculapium commemorat mortuos ab inferis excitantem Ag. vs. 966 sq. Deinde apud *Homerum* saepius vivi mortuos affantur, ut Τ 287 sqq. Briseis Patroclum, Τ 315 sqq. Achilles amicum coniunctissimum, Χ 477 sqq. Andromacha Hectorem, etsi corpus eius in castris Graecorum iacet, et, postquam redditum est, eundem Andromacha Ω 725 sqq., Hecuba Ω 748 sqq., Helena Ω 762 sqq., omnes ita tamen, ut laudatione funebri vel nenia defunctos supremum salutent neque in Orco se audiri credant. *Aeschyli* loci supra prolati, quibus mortui allocutione afficiuntur, aliud spectant, cum ad audiendum atque auxiliandum umbrae invitentur. Tum *Homerus* quamlibet umbrarum cum vivis coniunctionem negat, nullum apud eum invenitur ullius commercii inter inferos et superos indicium. Apud *Aeschylum*, etsi οἱ κατὰ χθονὸς θεοὶ λαβεῖν ἀμείνους εἰσὶν ἢ μεθιέναι (Pers. 674 sq.), umbra Clytaemnestrae in scaenam prodit Eum. vss. 96—142, Furias ad Orestem persequendum impellens,

et Dareus Persarum rex mortuus inferiis, quas Atossa rite conficit (Pers. 603—610) chorique „ψυχαγωγικοῖς γόοις“ (vss. 615—665) e sepulcro suscitatur ad longum sermonem cum vivis habendum (Pers. 666—829); cum illa autem ipsa se ὄναρ appellet (Eum. 119)[1]), hic, quem ut croceis soleis regiaque tiara indutus veniret chorus antea oraverat, habitu reverentiam iniciente incedit et senibus pristinum regem agnoscentibus se vel apud inferos regnare aperit (Pers. 676). Sed praeter has quoque umbrarum in scaena praesentias *Aeschylus* cuiusdam mortuorum cum vivis commercii auctor est. Ut enim de inferiis coniunctionem hinc illuc efficientibus, quae saepius commemorantur, hic plura non dicam, quam accuratissimam earum descriptionem exstare Pers. vs. 603 sqq., non modo peti ab inferis ea, quibus egent vivi, invenimus — testimonio sunt Electrae verba Choeph. vss. 80—85, 122—124, 131—143 et consilium a principibus Persarum Atossae datum:

δεύτερον δὲ χρὴ χοὰς
γῇ τε καὶ φθιτοῖς χέασθαι, πρευμενῶς αἰτουμένην
σὸν πόσιν Δαρεῖον, ὅνπερ φῂς ἰδεῖν κατ' εὐφρόνην,
ἐσθλά σοι πέμπειν τέκνῳ τε γῆς ἔνερθεν ἐς φάος,
τἄμπαλιν δὲ τῶνδε γαίᾳ κάτοχα μαυροῦσθαι σκότῳ

(Pers. 213 sqq.)[2]) — verum etiam e duobus locis, Choeph. vs. 285 sqq., ubi scriptum legimus:

τὸ γὰρ σκοτεινὸν τῶν ἐνερτέρων βέλος
ἐκ προστροπαίων ἐν γένει πεπτωκότων
λύσσαν τε καὶ μάταιον ἐκ νυκτῶν φόβον
κινεῖν, ταράσσειν, καὶ διώκεσθαι πόλεως
χαλκηλάτῳ πλάστιγγι λυμανθὲν δέμας.

et Choeph. vs. 531, ubi Orestes de Clytaemnestrae somnio dicit:

οὔτοι μάταιον ἀνδρὸς ὄψανον πέλει.

---

[1]) Cum *Hermanno* contra K. O. *Muellerum* ὄναρ hoc loco umbram, non somnii speciem significare censeo, cf. *Muelleri* „Anhang zu dem Buche: Aeschylos' Eumeniden“ pag. 10, „Erklärung“ pag. 3 sq. et *Hermanni* opusc. vol. VI. part. II. pag. 30 sqq. vol. VII. pag. 10.

[2]) *Weilius* vs. 217 praebet γαίας, sed praeferendam puto vulgatam lectionem γαίᾳ.

cogi licet, mortuis, si quid velint ex Orco in lucem mittere, haud dubie esse facultatem[1]).

Ad extremum apud *Homerum*, ut supra demonstravimus, nullum exstat praemii vel poenae post mortem opinionis indicium. *Aeschylus* praemia et ipse ignorat nec minus quamvis beatiorem quam in vita condicionem mortuorum: non eo enim referendum est, quod Dareus Pers. vs. 625 a choro appellatur μακαρίτας[2]), sed, id quod ex verbis sequentibus „ἰσοδαίμων βασιλεύς" colligi potest, ad regiam auctoritatem fortunamque, qua vivus rex usus est, cum quam expers voluptatis Orcus sit ex ipsis Darei verbis appareat, quibus chorum valere iubet Pers. vs. 825 sqq.:

ὑμεῖς δέ, πρέσβεις, χαίρετ', ἐν κακοῖς ὅμως
ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ καθ' ἡμέραν,
ὡς τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ.

Poenas autem a mortuis capi iam commemoratur apud *Aeschylum*. Cantat enim Furiarum chorus Eum. vs. 268 sqq.:

καὶ ζῶντά σ' ἰσχνάσασ' ἀπάξομαι κάτω,
ἵν' ἀντιποίνους τίνῃς ματροφόντας δύας.
ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλος ἤλιτεν βροτῶν
ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' ἀσεβοῦντες ἢ
τοκῆας φίλους.
ἔχονθ' ἕκαστον τῆς δίκης ἐπάξια.

[1]) Eum. vss. 759—766 (ex edit. *Hermanni*) Orestes, nunquam fore ut Argorum incolae Atheniensibus bellum inferant iuratus, se mortuum e sepulcro iis, qui iusiurandum fregerint, res adversas, qui observaverint, secundas missurum esse pronuntiat. Sed *Weilii* sententiam haud sane sine aliqua haesitatione sequendam censui, qui cum *Dindorfio* locum subditivum esse existimat, cf. adnot. ad Eum. vs. 741 sqq. apud *Weilium*. — Ceterum si genuini essent Aeschylus his versibus cultus heroum quos vocant significaret causam: quid enim in ea re plus valet quam opinari, arcano occulteque mortuos in eos, a quibus coluntur, vim exhibere prosperam atque salutarem?

[2]) cf. *Naegelsbach*, Die nachhomerische Theologie des griechischen Volksglaubens bis auf Alexander. Nürnberg 1857, de hoc loco pag. 412, de mortuorum appellationis „μακάριοι" significatione ab Aristophanis fragmento apud Stob. 121, 18 repetenda pag. 418 sq. Praeterea *Lehrsius* quoque de huius vocis usu agit in adnot. ad l. c. pag. 344.

μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν
ἔνερθε χθονός,
δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί.

et Eum. vs. 331 sqq.:

τοῦτο γὰρ λάχος διανταία Μοῖρ' ἐπέκλωσεν
ἐμπέδως ἔχειν, θνατῶν
τοί νιν αὐτουργίαις ξυμπατῶσιν μάταιοι,
τοῖς ὁμαρτεῖν, ὄφρ' ἂν
γᾶν ὑπέλθῃ· θανὼν δ' οὐκ ἄγαν ἐλεύθερος.

Ac Danaus eum, qui mulierem invitam invito patre in matrimonium duxerit, ne apud inferos quidem poenam effugiturum esse filias admonens dicit:

κἀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ', ὡς λόγος,
Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας.

(Suppl. 220 sq.). Simili modo Pelasgus rex Argivorum cur supplices sibi tuendae sint causam expromit: ne suscitem τὸν πανώλεθρον θεὸν βαρὺν ξύνοικον . . . ἀλάστορα, ὃς οὐδ' ἐν Ἅιδου τὸν θανόντ' ἐλευθεροῖ (Suppl. 402 sq.). Et praeterea ex fabularum quae perierunt nominibus: Σίσυφος πετροκυλιστής et Σίσυφος δραπέτης, quo pertinere videtur frg. 221:

καὶ νίπτρα δὴ χρὴ θεοφόρων ποδῶν φέρειν.
λεοντοβάμων ποῦ σκάφη χαλκήλατος;

poenae post mortem opinio apud *Aeschylum* perspicue apparet.

Sed tamen caveamus, ne eam opinionem iam sic figuratam vel excultam fuisse putemus, ut quas quisque iniurias vivus impune commisisset earum mortuus in Orco poenas daturus esse crederetur. Ut eiusmodi enim persuasiones exoriantur, umbrarum condicio ea arbitranda est, in qua quin insit vitae vigor conscientiaeque vis absoluta non dubitetur. A cuius condicionis sententia quantopere abhorruerit *Aeschylus* perfacile inde intellegitur, quod eius quoque opinionis praebet indicia, qua mortui quovis sensus modo carere etiamtum existimabantur[1]),

---

[1]) Cuius opinionum de mortuorum condicione diversitatis unde et hic et ubique causa sit repetenda supra explicare conatus sum pag. 20 sqq.

velut: ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ (frg. 220) — qui enim mala non sentit, etsi perfectae beatitudinis expers est, eum liquet omnino non sentire — et:

> καὶ τοὺς θανόντας οὔτ' ἔχεις εὐεργετεῖν
> οὔτ' οὖν κακουργεῖν· ἀμφιδεξίως ἔχει
> τῷ μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι βροτούς.

(frg. 259)[1]). Quibus locis si non multum tribuemus, quia, ut liberi doloribus ac miseriis sint, sensus mortuis abiudicandus est, at certe, praesertim cum, quanta inanitas umbris natura conveniat, ex frg. 225:

> καὶ θανόντων ἰσὶν οὐκ ἔνεστ' ἰκμάς.

et frg. 226:

> σοὶ δ' οὐκ ἔνεστι κῖκυς οὐδ' αἱμόρρυτοι
> φλέβες.[2])

appareat, non tantulum, ut nihil eos valere censeamus ad sensum mortuorum coercendum. Itaque errore mihi implicatus videtur *Winiewski*[3]), qui ad Eum. vs. 96 sqq. adnotat l. c. pag. 13: „Quid? quod scelerati ne violenta quidem ac promerita morte expiantur, ut apud inferos tuti ac liberi sint ab opprobrio. . . . Clytaemnestra manifesto hoc dicit: propter opprobria mortuorum de caede patrata vitandam sibi esse mortuorum societatem turpiterque errandum. Id quod etiam voluit Scholiastes recte adnotans: τὸ γὰρ τοὺς ἐναγεῖς καὶ μετὰ θάνατον ὑπὸ νεκρῶν ἀτιμάζεσθαι.“ An mortuos, qui tantae sunt inanitatis, qui dormiunt τὸν ἀεὶ . . . ἀτέλευτον ὕπνον (Ag. 1396), in se praestare posse putabimus officia iudicum censorumque?[4])

---

[1]) Cum *Nauckio* scripsi vs. 1. pro lib. εἰ θέλεις „οὔτ' ἔχεις“ — vs. 2. pro l. ὃ γοῦν „οὔτ' οὖν“, cum *Hermanno* vs. 3. pro lib. καὶ μήτε χαίρειν „τῷ μήτε χαίρειν“.

[2]) sc. Sisypho apud inferos. Cf. *Nauckii* adnot. ad frg. 225.

[3]) „De animarum post mortem statu apud Aeschylum.“ Inest in: Index lectionum etc. per mens. aestiv. a. MDCCCLVII in Acad. Monast. habendarum.

[4]) Quodsi ipse Aeschylum umbris reverentiam in honoratos, neglegentiam in despectos dare supra confirmavi, opinionem modo reiectam minime sum secutus. Aliud enim esse existimo honoris vel tributi vel denegati

Homeri et *Aeschyli* de mortuorum condicione opinionibus ita collatis sequitur, ut *Sophoclem* in comparationem adhibeamus. Ac primum quidem, quoniam de vanitate umbrarum modo egimus, quaeratur, quid alter tragicorum Graecorum de ea iudicaverit.

Qui mortuus est — ὁ θανὼν νέκυς (Ant. 26), ὁ κατθανὼν νέκυς (Ant. 515) — κεύθει κάτω γῆς (Oed. R. 967) vel κεῖται παρ' Ἅιδῃ (ibid. 972) τὸν ἀεὶ κατὰ γᾶς σκότον εἱμένος (Oed. Col. 1701); habet κοίταν νέρθεν εὐσκίαστον αἰέν (ibid. 1706) ibique iacet in perpetuum:

βιοτῆς μὲν γὰρ χρόνος ἐστὶ βραχύς,
κρυφθεὶς δ' ὑπὸ γῆς κεῖται θνητὸς
τὸν ἅπαντα χρόνον.

(frg. 515), quia vitae umbris reddendae facultas nemini contigit (Elect. 940 sq.). Lamenta, si hominem mortuum ad vitam revocare possent, multo pretiosora essent quam aurum, sed:

ταῦτ' ἀνηνύτως ἔχει
τὸν ἐν τάφῳ κρυφθέντα πρὸς τὸ φῶς ἄγειν.

(frg. 510 vs. 4 sq.). Quae cum ita sint, sortem mortuorum flebilem putari admirationem non habet: ὁ μὲν θανὼν γᾶ τε καὶ οὐδὲν ὢν κείσεται τάλας (Elect. 245); tamen eo potior est quam vivorum, quod umbrae sensu carentes omnibus vitae angustiis vacuae sunt:

---

semel iterumve manifesta facere signa, quippe quae mitti possint gestibus motibusque corporum adumbratorum, aliud bene aut male factorum cotidianam exercere censuram opprobriisque profiteri exercitam; nisi forte sentire vel sensibus percepta aperire idem est quod reputare vel mente reputata indicare. — Ab hoc quoque argumento alteram illam dubitationem repeto, quam afferre supra (pag. 37) dixi *Muelleri, Hermanni, Weilii* interpretationem, Eum. vs. 98 sq. verba ὡς vel ὧν μὲν ἔκτανον ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται significare: infamia facinoris mei inter mortuos me non deserit. Licet enim ii, quos trucidavit Clytaemnestra, animum infensum in eam ostendant, tamen ceterae umbrae de honore tribuendo vel denegando nisi ex subtiliore facti existimatione diiudicare non possunt. Nam ut patratum in eam facinus ipso visu cognoscitur, ita quid ipsa et quo consilio perpetraverit sensus fugit. Ubi igitur vivis difficile est iudicium facere, qui poterunt mortui?

πῶς γὰρ ἂν ὁ μὴ λεύσσων
ποτ' ἔτ' ἐπίπονον ἔχοι θανὼν λατρείαν;

(Trach. 829 sq.) et:

τοῖς γὰρ θανοῦσι μόχθος οὐ προσγίγνεται

(ibid. 1173) et:

θανόντων δ' οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται

(Oed. Col. 955). Quam ad vacuitatem malorum adipiscendam ipsa vita abicitur — nonnulla eiusmodi exempla apud *Sophoclem* exstare supra commemoravimus — atque eos, qui morte voluntaria decedunt, non decipi spe sui liberandi Ulixis verba testimonio sunt, quibus Agamemnonem admonet, ne sepeliri Aiacem prohibeat:

οὐ γάρ τι τοῦτον, ἀλλὰ τοὺς θεῶν νόμους
φθείροις ἄν.

(Ai. 1343) et Deianirae votum:

ὦ Ζεῦ τροπαῖε, μή ποτ' εἰσίδοιμί σε
πρὸς τοὐμὸν οὕτω σπέρμα χωρήσαντά ποι,
μηδ', εἴ τι δράσεις, τῆσδέ γε ζώσης ἔτι.

(Trach. 303 sqq.) et Electrae rogatio:

τοιγὰρ σὺ δέξαι μ' ἐς τὸ σὸν τόδε στέγος,
τὴν μηδὲν ἐς τὸ μηδέν, ὡς σὺν σοὶ κάτω
ναίω τὸ λοιπόν. καὶ γὰρ ἡνίκ' ἦσθ' ἄνω,
ξὺν σοὶ μετεῖχον τῶν ἴσων· καὶ νῦν ποθῶ
τοῦ σοῦ θανοῦσα μἀπολείπεσθαι τάφου.
τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους.

(Elect. 1165 sqq.).

Sed etsi *Sophocles* eius opinionis, qua permagna aut perfecta mortuis tribuitur inanitas, plura exhibet quam *Aeschylus* indicia, quia vitae miseriis iam gravius mea quidem sententia quam illius aetate prementibus[1]) vacuitas malorum a quavis vitae specie abhorrens magis desiderabatur quam antea, tamen sensus post mortem ac conscientiae cuiusdam testimonia apud eum quoque inveniuntur neque ea pauca. Ac primus ut ita

---

[1]) cf. *Reisacker* l. p. 19 adn. 1 c. pag. 13 sq.

dicam spiritus mortuis affertur, cum vagantes bombum facere dicuntur umbrae:

βομβεῖ δὲ νεκρῶν σμῆνος ἔρχεταί τ' ἄλη

(frg. 794), sentiendi utrum iis tribuenda sit facultas necne nondum explorato, nam Electra Clytaemnestram et Aegisthum offendi confirmans honore, quo fratrem mortuum colat, addit:

εἴ τις ἔστ' ἐκεῖ χάρις.

(Elect. 355)[1]. Prope plenae autem vitae vigorem post mortem Amphiaraus ostendit, qui Elect. vs. 841 a choro πάμψυχος ἀνάσσειν narratur[2]. Itaque non mirum est, ad vivos reducem ab inferis commemorari Sisyphum Phil. vss. 448 sqq. et 624 sq. vel Oedipum quare se excaecaverit aperire causam:

ἐγὼ γὰρ οὐκ οἶδ' ὄμμασιν ποίοις βλέπων
πατέρα ποτ' ἂν προσεῖδον εἰς Ἅιδου μολὼν,
οὐδ' αὖ τάλαιναν μητέρ', οἷν ἐμοὶ δυοῖν
ἔργ' ἐστὶ κρείσσον' ἀγχόνης εἰργασμένα.

(Oed. R. 1371 sqq.). Apertissima vero colligi licet vitae post mortem opinionis indicia, ut apud *Aeschylum* ex Oresteae ar-

---

[1]) Hic locus ut nunc legitur:

λυπῶ δὲ τούτους, ὥστε τῷ τεθνηκότι
τιμὰς προσάπτειν, εἴ τις ἔστ' ἐκεῖ χάρις.

corruptae scripturae suspicionem movet, quia consecutionis enuntiatio prorsus aliena esse videtur a sententia. Medicina haud scio an allata sit, si leni correctione legeris: λυπ. δ. τούτ. ὧδε τῷ τεθν. | τιμ. προσάπτουσ', εἴ τ. ε. ε. χ.

[2]) Vocabulum „πάμψυχος" quid significet alii aliter intellexerunt. Ea scholiorum explicatione, „πάμψυχος" idem esse ac πασῶν ψυχῶν, a Godofr. *Hermanno* quoque probata, haud scio an propterea offendaris, quod penes deos inferorum imperium in Orco est. Alius autem scholiastae interpretationi, qua „πάμψυχος" significare dicitur „ὁ διασώσας πᾶσαν τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν", cuius origo fortasse repetenda est a fabula Amphiarao terrae hiatu ab inferis excepto immortalitatem tribuente, chori, qui edit vocem, ratio repugnat. Nam cum Electram de Agamemnone consolaturus sit, ut similitudo intercedat inter illius et Amphiarai statum, ad gradum oportet regiae dignitatis respiciat. Quare pro „πάμψυχος" legendum proponitur τιμοῦχος (in *Schneidewini* ed. VIII. a Nauckio curata) vel πάντιμος (a *Morstadtio*).

gumento, sic *Sophoclis* ex fabulis tragoediarum, quae Antigona et Electra inscriptae sunt.

Fratris enim in Orco honestandi causa, ut sepultus τοῖς ἔνερθεν νεκροῖς ἔντιμος (Ant. 25) sit, Antigona primum novi regis edictum neglegens Polynicem humat, etsi hoc facto se Creontis iram odiumque subituram esse non ignorat. Nam persuasum habens, fore ut inferi pietatem, quam exhibet, animadvertant —

ὧν τοὔργον Ἅιδης χοἰ κάτω ξυνίστορες·

(Ant. 542) — ne morte quidem, quam Creo comminatus est, ab incepto deterretur, —

ἐπεὶ πλείων χρόνος
ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε.
ἐκεῖ γὰρ ἀεὶ κείσομαι·

(Ant. 74 sqq.) — cum Ismena eundem animum praestare non audeat:

ἐγὼ μὲν οὖν αἰτοῦσα τοὺς ὑπὸ χθονὸς
ξύγγνοιαν ἴσχειν, ὡς βιάζομαι τάδε,
τοῖς ἐν τέλει βεβῶσι πείσομαι.

(Ant. 65 sqq.)[1]). Atque Creonti Polynicis sepulturam Eteoclem aegre laturum esse opinanti, quia utrumque fratrem et defendentem patriam et oppugnantem soror eodem honore affecerit — neque enim ex inimico apud inferos fieri amicum —, Antigona respondet, in Orco utrique idem ius fasque esse neque fratrem fratris iustis invisurum (Ant. 514 sqq.). Itaque officiis erga suos religiosissime servatis se gratam sperat acceptamque venturam esse inferis:

ἐλθοῦσα μέντοι κάρτ' ἐν ἐλπίσιν τρέφω
φίλη μὲν ἥξειν πατρί, προσφιλὴς δὲ σοί,
μῆτερ, φίλη δὲ σοί, κασίγνητον κάρα.

(Ant. 897 sqq.).

---

1) Mortuorum umbras potius quam deos inferorum vocibus „οἱ κάτω" et „οἱ ὑπὸ χθονός" significari apparet ex vocibus oppositis „οἱ ἐνθάδε" et „οἱ ἐν τέλει βεβῶντες".

Electrae autem argumentum easdem fere amplectitur de mortuorum statu opiniones, quae in *Aeschyli* Choephoris nobis occurrunt. Agamemnonis umbra enim eorum, quae vivus perpessus est, apud inferos quoque memor —

οὐ γάρ ποτ' ἀμναστεῖ γ' ὁ φύσας Ἑλλάνων ἄναξ,
οὐδ' ἁ παλαιὰ χαλκόπλακτος ἀμφάκης γένυς,
ἅ νιν κατέπεφνεν αἰσχίσταις ἐν αἰκίαις.

(Elect. 484 sqq.) — auctoribus facinoris in se commissi succenset. Quapropter Electra Chrysothemin sororem monet, ne quid libationis a Clytaemnestra missae patris tumulum attingere sinat, quoniam Agamemno dona impiae coniugis προσφιλῶς accipere non possit (Elect. 431 sqq.)[1]). Atque usui esse succensenti necis ultionem luculentissimis probatur testimoniis; velut Electra Chrysothemin non modo de promptiore in patris interfectores animo hac obiurgat clausula:

οὕτω γὰρ φανεῖ πλείστοις κακή,
θανόντα πατέρα καὶ φίλους προδοῦσα σούς.

(Elect. 367), sed etiam patris tumulum precibus adire ibique parentare iussam alloquitur:

ὅμως δ', ἀδελφή, σοί θ' ὑπούργησον τάδε
ἐμοί τ' ἀρωγά, τῷ τε φιλτάτῳ βροτῶν
πάντων, ἐν Ἅιδου κειμένῳ κοινῷ πατρί.

(Elect. 461 sqq.) eamque fratis decessu nuntiato ut in ultione exigenda sibi succurrat hortata commonefacit:

ἀλλ' ἢν ἐπίσπῃ τοῖς ἐμοῖς βουλεύμασιν,
πρῶτον μὲν εὐσέβειαν ἐκ πατρὸς κάτω
θανόντος οἴσει τοῦ κασιγνήτου θ' ἅμα·

(Elect. 967 sqq.); neque usquam alio spectant chori verba, quibus liberorum erga parentes pietatem adiuvat confirmatque:

τί τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους οἰωνοὺς
ἐσορώμενοι τροφᾶς κηδομένους ἀφ' ὧν τε βλάστωσιν
ἀφ' ὧν τ' ὄνασιν εὕρωσι, τάδ' οὐκ ἐπ' ἴσας τελοῦμεν;

---

[1]) Simili modo Teucer timet, ne Aiaci auxilio Ulixis inimici sepeliri odiosum sit (Ai. 1393 sqq.).

(Elect. 1059 sqq.). Tamen eo differunt *Aeschylus* et *Sophocles*, quod apud illum non tam sua ipsorum quam patris causa poenas a Clytaemnestra et Aegistho liberi repetunt, apud hunc autem et ita ulcisci patris caedem parati sunt, ut suam salutem non periclitentur — documenta exstant cum totum illud inter sorores colloquium (Elect. vss. 328—471) tum Chrysothemidis verba, quibus prudens suum in dominos obsequium excusat:

> ἀλγῶ 'πὶ τοῖς παροῦσιν· ὥστ' ἄν, εἰ σθένος
> λάβοιμι, δηλώσαιμ' ἂν οἷ' αὐτοῖς φρονῶ.
> νῦν δ' ἐν κακοῖς μοι πλεῖν ὑφειμένῃ δοκεῖ,
> καὶ μὴ δοκεῖν μὲν δρᾶν τι, πημαίνειν δὲ μή.
> τοιαῦτα δ' ἄλλα καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν.
> καίτοι τὸ μὲν δίκαιον, οὐχ ᾗ 'γὼ λέγω,
> ἀλλ' ᾗ σὺ κρίνεις. εἰ δ' ἐλευθέραν με δεῖ
> ζῆν, τῶν κρατούντων ἐστὶ πάντ' ἀκουστέα.

(Elect. 333 sqq.) — et ita ulciscuntur, ut non minus iniuriis matris et vitrici a se propulsandis, quam patri inter inferos restituendo operam navent, id quod Electra, quippe cui saevitia scelestorum contubernalium maxime timenda sit —

> μέλλουσι γάρ σ', εἰ τῶνδε μὴ λήξεις γόων,
> ἐνταῦθα πέμψειν ἔνθα μή ποθ' ἡλίου
> φέγγος προσόψει, ζῶσα δ' ἐν κατηρεφεῖ
> στέγῃ χθονὸς τῆσδ' ἐκτὸς ὑμνήσεις κακά.

(Elect. 379 sqq.) — saepius testificatur. Postquam longa oratione enim (Elect. 254 sqq.) quae cotidie perpetiatur virginibus Mycenaeis exposuit, querendi ita finem facit:

> ἐγὼ δ' Ὀρέστην τῶνδε προσμένουσ' ἀεὶ
> παυστῆρ' ἐφήξειν ἡ τάλαιν' ἀπόλλυμαι.
> μέλλων γὰρ ἀεὶ δρᾶν τι τὰς οὔσας τέ μου
> καὶ τὰς ἀπούσας ἐλπίδας διέφθορεν.

(Elect. 303 sqq.); et mortuum esse Orestem rata haec exclamat:

> Ὀρέστα φίλταθ', ὥς μ' ἀπώλεσας θανών,
> ἀποσπάσας γὰρ τῆς ἐμῆς οἴχει φρενὸς
> αἵ μοι μόναι παρῆσαν ἐλπίδων ἔτι,

σὲ πατρὸς ἥξειν ζῶντα τιμωρόν ποτε
κἀμοῦ ταλαίνης. νῦν δὲ ποῖ με χρὴ μολεῖν;
μόνη γάρ εἰμι, σοῦ τ' ἀποστερημένη
καὶ πατρός. ἤδη δεῖ με δουλεύειν πάλιν
ἐν τοῖσιν ἐχθίστοισιν ἀνθρώπων ἐμοί,
φονεῦσι πατρός. ἆρά μοι καλῶς ἔχει;

(Elect. 808 sqq.); denique sororem ut etiam fratre non adiuvante patrem una secum ulciscatur admonens his verbis perorat:

ἀλλ', ὦ φίλη, πείσθητι, συμπόνει πατρί,
σύγκαμν' ἀδελφῷ, παῦσον ἐκ κακῶν ἐμέ,
παῦσον δὲ σαυτήν, τοῦτο γιγνώσκουσ', ὅτι
ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν.

(Elect. 986 sqq.).

Cuius rei fusius facere mentionem cum huius loci non sit, nunc ad mortuorum cum vivis coniunctionem, qualem *Sophocles* sibi finxerit, tractandam progrediamur. Atque nihil aut non fere multum de hac re ab *Aeschylo* eum dissentire invenimus. Nam etsi umbrae in scaenam non prodeunt, ut in Eumenidibus Clytaemnestra et in Persis Dareus — Hercules, qui in Philocteta fabula discrimen ex machina componit, deus in caelum receptus est — tamen inter vivos et mortuos loquendi audiendique commercium fit. Fama enim dea ad inferos descendit nuntia, nam chorus cantat:

ὦ χθονία βροτοῖσι Φάμα, κατά μοι βόασον οἰκτρὰν
ὄπα τοῖς ἔνερθ' Ἀτρείδαις, ἀχόρευτα φέρουσ' ὀνείδη·

(Elect. 1066 sq.); quin etiam illa non intercedente ex terra in Orcum et ex Orco in terram quaecumque mittuntur pervenire inde — ut hic de inferiis taceam — apparet, quod Electra cum sorori ut precibus adeat patris umbram mandat:

αἰτοῦ δὲ προσπίτνουσα γῆθεν εὐμενῆ
ἡμῖν ἀρωγὸν αὐτὸν εἰς ἐχθροὺς μολεῖν

(Elect. 453 sq.), tum anxium Clytaemnestrae somnium a patre missum esse opinatur:

οἶμαι μὲν οὖν, οἶμαί τι κἀκείνῳ μέλον
πέμψαι τάδ' αὐτῇ δυσπρόσοπτ' ὀνείρατα·

(Elect. 459 sq.), eodemque esse referendam puto Herculis denuntiationem, qua filium ut sine lacrimis gemituve se sepeliat hortatur:

> εἰ δὲ μή, μενῶ σ' ἐγὼ
> καὶ νέρθεν ὢν ἀραῖος εἰσαεὶ βαρύς.

(Trach. 1201).

Ad heroum autem qui vocantur cultum ab opinione sensus conscientiam vires mortuis tribuente proficiscentem est manifestum pertinere, quod Oedipodis corpus saepius in fabula, quae Oedipus Coloneus inscribitur (cf. vss. 91 sqq., 287 sqq., 459 sq., 1489 sq.), Thebanis futurum perniciei saluti dicitur Atheniensibus. Fac tamen cures aliquantulum, non tam ab ipsa mortui Oedipodis gratia perpetua vel ira sempiterna repeti et Atheniensium in posterum emolumentum et Thebanorum detrimentum, quam ab Apollinis Pythii oraculis (cf. vss. 87 sqq., 387 sqq., 452 sqq., 626 sq.). Quid? quod Creo, ut ipse suique commodis, quae deus editurum Lai filii sepulcrum vaticinatus est, fruantur, Oedipum vel invitum secum abducere non dubitat? Nonne adeo non animum sed corpus Oedipodis quasi pro fonte salutis futurae haberi apparet, ut mentem recordatio subeat fidei recentioribus temporibus hominum consecratorum reliquiis factae?

Poenae aut praemii post mortem *Homerum* prorsus ignorare opinionem, *Aeschylum* inscium praemiorum poenas in Orco expetitas commemorare supra dictum est. *Sophocles* propriis planisque verbis ne poenae quidem persuasionem in medium profert neque habeo quo referam *Zelleri*[1]) sententiam, quam aperit l. c. pag. 9: „Sophocles verweist nicht selten auf die Vergeltung nach dem Tode". Immo ubi eiusmodi significationem exspectamus quaerendo destituimur: non enim post mortem poenam Tiresias Creonti pro iniuria Antigonae et Polynici illata negatoque dis inferis honore sed brevi praedicit solvendam (Ant. 1064 sqq.) atque Philoctetes superorum carnificibus suis iram imprecari deorum satis habet (Phil. 315 sq.). Tamen

[1]) „Die Entwickelung des Monotheismus bei den Griechen." Inest in: Vorträge und Abhandlungen. Erste Sammlung. ². 1875. p. 9.

qui cum *Wuestio*[1]) censeat, *Sophoclem* de poenis in Orco expetendis idem sensisse quod *Homerum*, haud scio an in errorem incidat. Nam cum *Homeri* ea sit de mortuorum condicione sententia, ut de poenis cogitare prorsus nequeat, *Sophocles* umbrarum statum talem tradit, ut fieri non possit, quin peti ab iis ultionem peccatorum suspicemur. Atque duo exstant in tragoediis eius loci, quibus haec suspicio ad certum redigatur[2]). Ixionis enim apud inferos ad rotam continuo currentem alligati mentio fit Phil. vs. 676 sqq. et Antigona, cum dicit:

τούτων ἐγὼ οὐκ ἔμελλον, ἀνδρὸς οὐδενὸς
φρόνημα δείσασ', ἐν θεοῖσι τὴν δίκην
δώσειν· θανουμένη γὰρ ἐξῄδη, τί δ' οὔ;
κεἰ μὴ σὺ προὐκήρυξας. εἰ δὲ τοῦ χρόνου
πρόσθεν θανοῦμαι, κέρδος αὔτ' ἐγὼ λέγω.

(Ant. 458 sqq.), sine dubio condicionem hanc vitam sequentem in animo habet: namque capitis poenam aetate florens subitura est, qua duriorem gravioremve vivi dare nequeunt; hanc igitur si subit, ne graviorem mereat, poenam metuit, quam ne morte quidem effugere possit i. e. poenam post mortem solvendam[3]).

---

[1]) cf. „Der Hades und das Leben der Verstorbenen in demselben." Inest in: Programm der Realschule auf der Burg. Königsberg 1870. Ibi legitur pag. 7: „. . . auch hierin ist die Anschauung unseres Dichters die homerische, nach welcher es für die zu erwartende Aufnahme im Hades als ganz indifferent erscheint, ob gut oder lasterhaft das einzelne Individuum seinen Lebenswandel unter den Menschen geführt hat."

[2]) Perperam huc rettuleris frg. 699:

πρὸς δ' οἷον ἥξεις δαίμον' ἐξερῶ τάχα·
ὃς οὔτε τοὐπιεικὲς οὔτε τὴν χάριν
οἶδεν, μόνην δ' ἔστερξε τὴν ἁπλῶς δίκην.

(vs. 1 cum *Nauckio* ἐξερῶ τάχα pro lib. ὡς ἔρωτα), quod ad Plutonem spectare testatur Clemens Alexand. Strom. II p. 494. Neque enim his verbis similis quaedam opinio continetur atque Aeschyleis illis: μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν (Eum. 274), sed de eo iure cogitatur, quod inexorabilis neque ullam ullius rei rationem habens Pluton exsequitur morte in mortales immittenda.

[3]) Cave perperam intellegas sententiam supra prolatam. Etenim fratrem sepeliens nihil aliud curat Antigona nisi officium in suos, pietatem

Praemiorum autem post mortem apud *Sophoclem* ullam exstare opinionem non potest quod sciam demonstrari. Tamen ultra *Aeschyli* persuasiones eo progreditur, quod melioris quam in vita mortuorum status si minus alte pressa at certe prima praebet vestigia. Et *Winiewski*[1]) quidem si in voce Antigonae:

> ἀλλ' εἰ μὲν οὖν τάδ' ἐστὶν ἐν θεοῖς καλά,
> παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες·
> εἰ δ' οἵδ' ἁμαρτάνουσι, μὴ μείω κακὰ
> πάθοιεν ἢ καὶ δρῶσιν ἐκδίκως ἐμέ.

(Ant. 925 sqq.; vs. 927 cum *Vauvilliersio* μὴ μείω κακὰ pro lib. μὴ πλείω κακὰ) inesse dicit perfectioris post mortem veri cognitionis opinionem, ita sequendam puto hanc sententiam, ut verba: „quae (sc. cognitio veri) hic utpote animo cupiditatibus perturbato dubia et incerta est" (l. c. pag. 20) addentem erroris intulisse significationi loci initium censeam. Neque enim omnibus *Sophocles* mortuis facultatem vera a falsis distinguendi maiorem quam in vita his versibus tribuit, sed unam Antigonam a se prius intellegi posse capitalem suam culpam facit negantem, quam affecta supplicio deos ipsos sic voluisse sibi persuaserit[2]). Quod autem idem ille *Winiewski* fabulae, quae Philoctetes inscribitur, locum:

---

praestare in deos; poenae metu minime impellitur. Hoc autem loco rem confectam ad cogitationem revocans commeritam poenam cum ea comparat, quam committere potuit, si Creontis praeceptum observasset.

[1]) „De animarum post mortem statu apud Sophoclem." Inest in indice lectionum etc. per mens. hibern. a. MDCCCLVII—VIII in Acad. Monast. habendarum.

[2]) *Dindorfius* cum maxima parte orationis Antigonae hos quoque versus damnat, cf. adnot. ad vss. 900—928. Alii minus ampla reiectione adquieverunt, in his *Lehrsius*, qui de vss. 904—920 addubitavit. Cuius sequens auctoritatem vss. 925—928 Sophocli tribuo saepiusque perperam intellectos vss. 925—926 cum *Boeckhio* (ex edit. Antig. graec. et germ. Berlin 1843) sermone patrio ita interpretor:

> „Doch wenn es also gültig bei den Göttern ist,
> Werd' ich die Schuld erkennen, wenn ich sie gebüsst."

Ceterum cf. de hoc loco *Winiewski* l. c. pag. 20 nec non *Schneidewinii* et *Nauckii* adnott. in: Sophocles erklärt von Schneidewin. 4. Bd. Antigone. 8. Aufl. bes. v. Nauck. Berlin 1880.

ὡς τἄλλα πάντα δεύτερ' ἡγεῖται πατὴρ
Ζεύς. ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς,
κἂν ζῶσι κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται.

(vs. 1442 sqq.) ita interpretatur, ut melioris umbrarum quam in vita status indicia ibi exstare confirmet (l. c. pag. 21 sqq.)[1], nullo equidem pacto ei possum assentiri, qui cum *Dindorfio, Schneidewinio,* aliis hos versus subditivos esse suspicer[2].

Duo tamen inveniuntur fragmenta Sophoclea, quibus consignari videtur melior post mortem condicio. Ex incerta enim fabula *Plutarchus* (Mor. p. 21 F.) versus servavit:

ὡς τρὶς ὄλβιοι
κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη
μόλωσ' ἐς Ἅιδου· τοῖσδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ
ζῆν ἔστι, τοῖς δ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.

(frg. 753)[3]. Qui quantum valeant in ipsa poetae de umbrarum

---

[1]) Fusius hanc interpretationem *Winiewski* defendit in commentatione, quam inscripsit „Über die politische Beziehung des Sophocl. Philoktet". Inest in: Museum des Rhein.-Westfäl. Schulmänner-Vereins. Arnsberg 1848. p. 26—59.

[2]) Suspicio mea quidem sententia non ex insolita vocabuli συνθνήσκειν significatione „in Orcum comitari" repetenda est, ut nonnulli critici fecerunt, in his *Hermannus* opusc. vol. VIII. pag. 201, quippe quam satis approbet *Winiewski* quaque accepta versu sequenti non tam inepta iteratio quam apta ac necessaria contineatur explicatio. Nihilo setius tres illos versus reiciendos puto, et quod flaccescit Herculis oratio, si adduntur, praesertim cum minime desideretur pietas nec in Philocteta nec in Neoptolemo sociisve eius, et quia versu medio gravi post primam primi pedis trimetri syllabam interpunctione aliquid duri affertur loci compositioni, ut omittam interrogare, cur post mortem potius quam in vita pietatis pronuntientur praemia. — Postrema reprehensione caret ceteris illibatis speciosa *Hermanni* coniectura, quam profert opusc. vol. VIII. pag. 202:

ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκειν βροτοῖς
κἂν ζῶσι κἂν θανοῦσιν οὐκ ἐπίσταται.

Verum ne si recipitur quidem praemii post mortem vel melioris status opinio his verbis continetur, cum nihil aliud significare possit hic εὐσέβεια nisi l a u d e m pietatis, ut Elect. 968, quae vivis in hac luce, mortuis apud inferos aeque contingat.

[3]) *Welckerus* cum alios tum hunc locum ei fabulae tribuit, cuius argumentum a Triptolemo dona Cereris impertiente hominibus atque

statu sententia cognoscenda si perspicere volumus, et reputare nos oportet, *Sophoclem* non iis, qui iuste probe pie vixerint, melioris, sed, qui sacris initiati sint arcanis, praecipuae apud inferos spem facere condicionis, et ita facere recordari, ut ea, quorum nullo unquam alio loco facit mentionem, iisdem fere verbis vel potius in eandem sententiam proferat atque fieri solitum esse videtur eius aetate[1]). Nonne igitur illis versibus non tam suam ipsius opinionem aperire, quam stipem ut ita dicam conferre voluisse ad Eleusiniorum honorem poetam putabimus?

Sed alius quoque apud *Plutarchum* (Mor. p. 107 B.) exstat *Sophoclis* locus, qui dubitari potest an huc pertineat:

σὺ δ' ἄνδρα θνητόν, εἰ κατέφθιτο, στένεις,
εἰδὼς τὸ μέλλον οὐδὲν εἰ κέρδος φέρει;

(frg. 760)[2]). Si enim lucrum hominis mortui nihil aliud esset nisi malorum vacuitas, quasi de re incerta dici non oportebat, quoniam vita defunctos omnibus miseriis liberos esse constat. Sin autem ideo lucrum fecisse homo existimaretur, quod futuras vitae angustias morte effugisset, ea sententia non simpliciter atque naturaliter ex loci verbis efficeretur. Ergo dictum esse licet opinari, fieri posse, ut melior sit mortuorum condicio quam vivorum.

Sed ubi primum meminerimus, vel Philoctetae ne in summis quidem dolorum tormentis ullam solacio esse melioris post mortem condicionis spem vel Oedipum etsi e vita divino

---

Eleusine occulta eius instituente sacra Sophoclem petivisse veri est simillimum.

[1]) cf. hym. Homeric. ed. *Baumeister.* Lipsiae 1860. V. in Cerer. vs. 480 sqq.:

ὄλβιος, ὃς τάδ' ὄπωπεν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων·
ὃς δ' ἀτελὴς ἱερῶν, ὅς τ' ἄμμορος, οὔποθ' ὁμοίως
αἶσαν ἔχει φθίμενός περ ὑπὸ ζόφῳ εὐρώεντι.

conl. *Baumeisteri* adnot. pag. 333 sq.; et praeterea Pindari frg. 137 (ex Theod. *Bergkii* edit. pag. 29 adn. 1 c.): ὄλβιος ὅστις ἰδὼν κεῖν' εἶσ' ὑπὸ χθόν'· οἶδε μὲν βίου τελευτάν, οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.

[2]) supra commemoravi pag. 14.

quodam numine ducente elabitur mollissime tamen nihil exspectare a dis placatis nisi absolutam quietem [1]), quam dubium inexploratumque esse illud „posse“, quod indicatur versibus supra prolatis, censebimus?

Euripidis si nunciam cum ceterorum de umbrarum condicione conferimus opiniones, nonne exspectabimus, fore ut etiam expressiorem apud eum inveniamus sensus ac conscientiae mortuorum persuasionem? Qua exspectatione etsi minime destituimur, tamen, cum *Aeschylus* pauca, plura *Sophocles* praebeat contrariae sententiae indicia, *Euripides* eam totiens ac tam aperte sequitur, ut utram ipse suam amplexus sit plane perspici non liceat. Neque enim ut illi quasi corpore solido et astricto in argumenta tractanda incumbens suamque iis formam inculcans, sed inde sibi tamquam materiae solutae atque liquidae figuram quam induat ludibunda mutatione capiens quomodo in oratione, ut Godofr. *Hermanni* [2]) verbis utar, „modo assurgit, modo ad vulgaria atque humilia delabitur, remissior saepe ac profusior, ut non hoc unum quod debuerit, sed complura quae potuerit dicere invenias“, sic in rebus persuasiones hinc illinc petitas suis ipsius opinionibus usque adeo obducit offunditque, ut distinguere inter utrasque difficillimum sit. Quare non est quod miremur, poetam tragoediis suis homines non quales esse debent ac possunt sed quales erant eruntque [3]) depingere, id quod etsi a tragoedia alienius est, tamen efficit, ut eo verius et fidius reddat aetatis suae indolem atque rationem. Ad eam igitur etiam magis quam Aeschyleae et Sophocleae referendae sunt cum universae quas profert *Euripides*

---

[1]) *Hofmannus* in commentatione, quam inscripsit „Vorstellungen der Alten von der Unterwelt und dem Zustand nach dem Tode“ (inest in: Programm des Königl. Gymnasiums zu Kreuznach. 1867) aliam expromit sententiam. Dicit enim l. c. pag. 18: „wenn er (sc. Sophocles) auch an keiner Stelle des Elysiums oder eines ähnlichen Ortes gedenkt, so weist doch seine Dichtung Oedipus auf Kolonos unverkennbar auf einen seligen Aufenthalt der Frommen im Hades hin“. Sed tamen equidem eiusmodi vestigia nequiquam quaesivi in huius fabulae tractatione Sophoclea.

[2]) praef. ad Hecub. Leipzig 1831. pag. VIII.

[3]) cf. *Herm.* praef. ad Hecub. pag. XV conl. Aristot. περὶ ποιητικῆς cap. 25 (1460 b).

sententiae tum diversae illae de mortuorum condicione opiniones, quae qui eodem tempore atque in eodem populo exstare potuerint supra (pag. 20 sqq.) operam dedi, ut exponerem.

Ac primum quidem, ut iam ad eas ipsas transeamus, non modo cupi invenimus sensus ac conscientiae post mortem vacuitatem a Phaedra:

> ἀλλὰ κρατεῖ
> μὴ γιγνώσκοντ' ἀπολέσθαι.

(Hippol. 249) et a Macaria:

> εἴ τι δὴ κάτω χθονός·
> εἴη γε μέντοι μηδέν· εἰ γὰρ ἕξομεν
> κἀκεῖ μερίμνας οἱ θανούμενοι βροτῶν,
> οὐκ οἶδ' ὅποι τις τρέψεται·

(Heracl. 592 sqq.), sed etiam sperari ab iis, qui vitam ut intolerabiliorem aut abiciunt aut abicere parati sunt (cf. Hel. 297 sqq. et 352 sqq.). Cui spei eo succurritur, quod mortui omnibus miseriis carere dicuntur, nam legitur:

> τῆς μὲν γὰρ οὐδὲν ἄλγος ἅψεταί ποτε.

(Alc. 943) et:

> (οὐδὲ) τὸν καταιβάτην
> Ἀχέροντα πλεύσας ἥσυχος γενήσομαι.

(Bacch. 1350) et:

> ὁ θανὼν δ' ἐπιλάθεται ἀλγέων ἀδάκρυτος.

(Troad. 608) et:

> τέθνηκε κοὐδὲν οἶδε τῶν αὑτῆς κακῶν.

(ibid. 644). Neque fieri posse, ut aliter sit, confirmatur cum illa mortuorum cum scopulis comparatione, quae subest fragmento 176[1]), tum illis locis, ubi nihili atque prorsus nihili umbrae fiunt, Alc. vs. 392:

---

[1]) ita enim intellegendos puto versus:

> θάνατος γὰρ ἀνθρώποισι νεικέων τέλος
> ἔχει· τί γὰρ τοῦδ' ἔστι μεῖζον ἐν βροτοῖς;

οὐδέν ἐσθ' ὁ κατθανών.

et frg. 536:

κατθανὼν δὲ πᾶς ἀνὴρ
γῆ καὶ σκιά· τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ῥέπει.

Negatur igitur propinquorum in Orco recognitio: Electra fratri una secum capitis damnato valedicens exclamat:

οἲ ἐγὼ μάλ' αὖθις· ὥς σ' ἰδοῦσ' ἐν ὄμμασι
πανυστάτην πρόσοψιν ἐξέστην φρενῶν.

(Orest. 1020); negatur mortuorum cura de bene an male audiendo: Pheres senex dicit:

κακῶς ἀκούειν οὐ μέλει θανόντι μοι

(Alc. 738); negatur umbrarum visus auditusque: Admetus Eumelum filium matrem defunctam alloquentem interpellat, quia mortuam alloquatur οὐ κλύουσαν οὐδ' ὁρῶσαν (Alc. 416). Atque ita perit totus qui moritur, ut nihil eius relinquatur nisi una virtus; malis autem ne eiusmodi quidem sui nota superest (frg. 734). Quocirca umbrarum in lucem reditus nullo pacto effici potest:

τίς γὰρ πετραῖον σκόπελον οὐτάζων δορὶ
ὀδύναισι δώσει; τίς δ' ἀτιμάζων νέκυς,
εἰ μηδὲν αἰσθάνοιντο τῶν παθημάτων;

Warmboldium quid adduxerit, ut hoc fragmento demonstrari diceret, opinionem, qua animus post corporis interitum manere crederetur, quamvis a philosophis sacrorumque contemptoribus impugnatam mortuorum cultu altam ac corroboratam esse (l. p. 17 adn. 1 c. pag. 27), frustra studui percipere. Licet enim vs. extremo pro „εἰ μηδὲν" exspectetur „οἳ οὐκ ἂν", tamen de loci sententia non potest dubitari atque haud scio an eo minus, quia Moschionis poetae Euripidi fere aequalis superest fragmentum, quod in eundem sensum vergit:

τί κέρδος οὐκέτ' ὄντας αἰκίζειν νεκρούς;
τί τὴν ἄναυδον γαῖαν ὑβρίζειν πλέον;
ἐπὴν γὰρ ἡ κρίνουσα καὶ τὰς ἡδονὰς
καὶ τἀνιαρὰ φροῦδος αἴσθησις φθαρῇ,
τὸ σῶμα κωφοῦ τάξιν εἴληφεν πέτρου.

(frg. 8. apud *Nauckium*). — Ceterum Eurip. frg. 176. vs. 4. pro „ἀτιμάζων" liceat mihi conicere „ἀτιμάσει", — ζων e superiore versu perperam iteratum esse rato.

οὐκ ἔστι τοὺς θανόντας ἐς φάος μολεῖν

(Alc. 1078) et:

καὶ τίς θανόντων ἦλθεν ἐξ Ἅιδου πάλιν;

(Herc. fur. 297); nec lacrimae defunctos in vitam revocant (cf. Alc. 992 et Troad. 700) nec lamentationes (cf. Alc. 888 et frg. 336 vs. 1 sq.).

His autem testimoniis sensum ac conscientiam mortuis abrogantibus opposita sunt non pauca eaque luculentissima contrariae sententiae. Quid? quod modo negati umbrarum in lucem reditus permissio atque facultas penes deos est? velut Lycus Herculem reversurum esse negat, εἴγε μή τις θεῶν ἀναστήσειέ νιν (Herc. fur. 717) et chorus Apollinem implorat: λυτήριος ἐκ θανάτου γενοῦ (Alc. 230). Quid? quod Φοίβου παῖς Aesculapius qui δμαθέντας ἀνίστη, πρὶν αὐτὸν εἷλε Διόβολον πλῆκτρον πυρὸς κεραυνίου, commemoratur (Alc. 126 sqq.) et Orpheus coniugem ex deorum inferorum potestate cantus dulcedine solvens (Alc. 368 sqq.)? Quid? quod Protesilai, quae interiit fabula, argumentum scholiasta Aristid. (p. 671 sq.) et *Hygino* (fab. 103 et 104) auctoribus amplexum esse videtur ab inferis illum ad coniugem parumper reversum? Etiam magis autem sententiae quamvis in Orco vitae speciem neganti Alcestidis argumentum repugnat. Etenim si quis mortuus vi et robore Morti ereptus piacularibus dis inferis factis post taciturnitatem tridui totus huic luci redditur, non potest tanta esse inter vitae et mortis statum contrarietas, ut in hoc ne minimum quidem illius vestigium insit. Cuius contrarietatis vis eo quoque temperatur, quod vivi non modo in Orcum recipiuntur, ut Amphiaraum Oiclis filium ζῶντ' ἐς μυχοὺς χθονὸς Theseus deos abduxisse narrat (Suppl. 927), sed ipsi audacissime ad inferos descendunt ut ita dicam petibundi: Orpheus Eurydicen (Alc. 368 sqq.), Theseus una cum Pirithoo Proserpinam (Herc. fur. 618 sqq. ibid. 1404 sq. Heracl. 218), Hercules Cerberum (praeter Herc. fur. argum. Heracl. 949. frg. 372. frg. 930)[1]). Cum autem viribus privati perhibeantur qui apud inferos sunt:

---

1) Alcestidem in Orcum nondum ingressam a Morte liberat prope sepulcrum eius, cf. Alc. 1145.

εἰ μὲν γὰρ οἰκεῖ νερτέρας ὑπὸ χθονὸς
ἐν τοῖσιν οὐκέτ' οὖσιν, οὐδὲν ἂν σθένοι.

(frg. 454) et Theseus se animo ibi defecisse profiteatur:

εἰς τὸ λῆμα παντὸς ἦν ἥσσων ἀνήρ.

(Herc. fur. 1405), Hercules integris viribus integroque animo non modo canem Plutonis in terram educit sed etiam Theseum in lucem restituit (cf. Herc. fur. 618 sqq. 1404 sq. Heracl. 218). Ceterum Ulixis descensum ad inferos Cassandra vaticinatur Troad. vs. 444.

Quae cum ita sint, non raro inveniri sensus ac conscientiae cuiusdam mortuis tributae consentaneum est indicia, ea tamen non in singulis potissimum fabulis, ut apud *Aeschylum* et *Sophoclem,* sed in omnibus fere promiscue exstantia. Namque quamquam in Orestis et Electrae ultione a patris percussoribus capienda *Euripides* et ipse versatur, ab *Aeschylo,* qui patris inter inferos restituendi causa liberos inducit matrem et vitricum interficientes, et a *Sophocle,* apud quem huic impulsui rationem sui ipsorum frater sororque coniungunt, eo differt, quod causarum, quibus adducti Clytaemnestram et Aegisthum interimunt, praeter iussa Apollinis atque illorum sortem miseram ita ignorat quamvis aliam, ut Orestem fingat arbitrantem, patrem, si ex eo esset quaesitum, caedem matris omnibus precibus fuisse dissuasurum (cf. Orest. vs. 280 sqq.)[1]. Quod si ratiocinatur Orestes, nondum apparet, quid de patre reapse interrogando censeat; apparet, si Electra dicit, patris umbram orare, ut Oresti suorum angustiae nuntientur (Elect. 335), si eadem fratri patrem alloquenti:

ἤκουσας, ὦ δείν' ἐξ ἐμῆς μητρὸς παθών;

(Elect. 681) respondet:

---

[1]) Nec secum dissentit Euripides, si eundem Orestem facit dicentem:

εἰ δὲ δὴ τὰ μητέρος
σιγῶν ἐπῄνουν,. τί μ' ἂν ἔδρασ' ὁ κατθανών;
οὐκ ἄν με μισῶν ἀνεχόρευσ' Ἐρινύσιν;

(Orest. 573 sqq.): quo loco non de causa facinoris patrandi sed de excusatione patrati agitur.

πάντ', οἶδ', ἀκούει τάδε πατήρ·

(ibid. 683), si Polyxenae moriturae, cum quaerat:

τί σοι πρὸς Ἕκτορ' ἢ γέροντ' εἴπω πόσιν;

(Hecub. 420) mater subicit:

ἄγγελλε πασῶν ἀθλιωτάτην ἐμέ.

(ibid. 421), si Iolaus Herculis armiger Demophonti filio Thesei dicit:

ἐγὼ δὲ καὶ ζῶν καὶ θανών, ὅταν θάνω,
πολλῷ σ' ἐπαίνῳ Θησέως, ὦ τᾶν, πέλας
ὑψηλὸν ἀρῶ καὶ λέγων τάδ' εὐφρανῶ,
ὡς εὖ τ' ἐδέξω καὶ τέκνοισιν ἤρκεσας,
τοῖς Ἡρακλείοις, εὐγενὴς δ' ἀν' Ἑλλάδα
σώζεις πατρῴαν δόξαν.

(Heracl. 320 sqq.) et Hecuba corporis nepotuli vulnera obligans confirmat:

τὰ δ' ἐν νεκροῖσι φροντιεῖ πατὴρ σέθεν.

(Troad. 1224). Neque iam habemus quod miremur, mortuis voluntatem quandam in Orco tribui, id quod manifestum est, cum Achillis umbra ut ad tumulum suum sibi sacra fiant postulet (Hecub. 106 sqq.) vel distinctius ut Polyxena immoletur (ibid. 37 sqq. 90 sqq. 303. 387 sq.), non modo provisurus honori suo, sed sanguinem illius hausturus, namque et Hecuba dicit:

ὑμεῖς δέ μ' ἀλλὰ θυγατρὶ συμφονεύσατε
καὶ δὶς τόσον πῶμ' αἵματος γενήσεται
γαίᾳ νεκρῷ τε τῷ τάδ' ἐξαιτουμένῳ

(Hecub. 389 sqq.) et Neoptolemus:

ὦ παῖ Πηλέως, πατὴρ δ' ἐμός,
δέξαι χοάς μου τάσδε κηλητηρίους,
νεκρῶν ἀγωγούς· ἐλθὲ δ', ὡς πίῃς μέλαν
κόρης ἀκραιφνὲς αἷμ', ὅ σοι δωρούμεθα
στρατός τε κἀγώ·

(ibid. 530 sqq.). Ac quanta sentiendi facultas umbris voluntate praeditis concedatur, inde potest intellegi, quod coniuges

se in Orco quoque consuetudinem inter se exercituros sperant, velut Admetus Alcestidi mandat:

ἀλλ᾽ οὖν ἐκεῖσε προσδόκα μ᾽, ὅταν θάνω,
καὶ δῶμ᾽ ἑτοίμαζ᾽ ὡς συνοικήσουσά μοι.

(Alc. 374 sq.) et Euadne ea spe adducta sibi mortem consciscit (cf. Suppl. 1024 sqq. et 1073 sq.). Cogitationis autem et iudicii quam compotes esse credantur mortui perfacile licet cognosci cum ex Polyxenae verbis, quibus cur voluntariae se praebeat morti aperit:

ἐν νεκροῖσι γὰρ
δούλη κεκλῆσθαι βασιλὶς οὖσ᾽ αἰσχύνομαι

(Hecub. 547 sq.), tum ex Helenae mandato, quo Hermionam filiam inferias instituere in Clytaemnestrae sepulcro iubet: patefaceret umbrae, cur ipsa non veniret, peteretque ab ea, ut benigno animo esset in libantem suosque et in liberos matricidio oblitos, quos deus perdidisset (cf. Orest. 112 sqq.)[1]; atque eodem pertinet, si Admetus μέμφιν τῆς θανούσης metuit (Alc. 1062) et si quid in Orco „νομίζεται" (τὸ κατθανεῖν ζῆν frg. 639).

Nec minus a sententia sensum ac conscientiam mortuis tribuente profectum est memorabile illud votum, quo chorus Alcestidem mortuam prosequitur:

κούφα σοι
χθὼν ἐπάνωθε πέσοι, γύναι.

(Alc. 477). Quod cum neque in sepultura nec de sepulta sed de modo defuncta ita dicatur, ut eo ipso tempore nihil sit, quo cogantur ad terram mortuos prementem transire cogita-

[1]) Mortuos dona ab inimicis oblata gravari etsi consentaneum est, tamen quod sciam apertis verbis ab Euripide non commemoratur. Etenim eius rei documento uti versibus:

κόσμον δὲ τὸν σὸν οὔποθ᾽ ἥδ᾽ ἐνδύσεται·
οὐ γάρ τι τῶν σῶν ἐνδεὴς ταφήσεται.

(Alc. 642 sq.), id quod *Warmboldius* l. c. pag. 28 suscipit, haud scio an inde reprehensionem capiat, quod utrum uxoris mortuae causa an ob suam exacerbationem Admetus patris donum repudiet non potest diiudicari neque ex verborum loci interpretatione neque ex contextu.

tiones chori in Orco atque in locis Cocyti versantes, est cur opinemur, adeo usitatam fuisse illam vocem, ut non alicunde arcessenda esset sed sponte ultroque ederetur. Quamquam huic opinioni repugnat rarissimus eius usus ad novitatem sententiae sensum ossibus tribuentis revocandus. Namque *Homerus*, *Aeschylus*, *Sophocles* eiusmodi votum ignorant, cuius *Euripides* quoque nisi illo loco nullam facit mentionem[1]) praeterquam quod similem sententiam non tamen votum profert Hel. vs. 850 sqq.:

εἰ γάρ εἰσιν οἱ θεοὶ σοφοί,
εὔψυχον ἄνδρα πολεμίων θανόνθ' ὕπο,
κούφῃ καταμπίσχουσιν ἐν τύμβῳ χθονί,
κακοὺς δ' ἐφ' ἕρμα στερεὸν ἐκβάλλουσι γῆς[2]).

Sed ut quam de mortuorum statu *Euripides* aperte secutus sit persuasionem ne temere supra negasse videamur intellegi posse, iam eiusmodi conferamus testimonia, quibus in dubium vocetur umbrarum sentiendi cogitandive facultas. Licet igitur Megara, si ab Herculis umbra sibi filiisque auxilium petens praemittit:

εἴ τις φθόγγον εἰσακούσεται
θνητῶν παρ' Ἅιδῃ

---

[1]) *Warmboldium,* apud quem ad verbum legitur l. c. pag. 10: „Treffen wir auch sonst häufig den Wunsch an, den man den Toten mit ins Grab gab, dass ihnen die Erde leicht sein möge, Alc. 463: κούφα σοι χθὼν ἐπάνωθε πέσοι, γύναι, so verlangt dies" etc. testimoniis Euripideis niti aut omnino tragicorum, id quod et debuit et videtur, cave putaveris.

[2]) Interpretationi loci, quae quantam afferat difficultatem ex arcessita *Buttmanni* explicatione apparet (cf. Lexilog. tom. I. pag. 115), oppido quam expedit *Scaligeri* coniectura, qui versum extremum proposuit legendum:

κακοῖς δ' ἔφ' ἕρμα στερεὸν ἐμβάλλουσι γῆς.

Quam etsi laudans *Hermannus* „elegantem" vocavit (Eurip. Helen. adn. ad vs. 870), tamen von recepit, cum sententia a librorum scriptura proficiscente adquiesceret (cf. adn. c.: „ignavos proici ab diis duro in solo dicit, ubi insepulti iaceant: quod putabatur esse tristissimum"). Verum tamen non esse dubium censeo, quin loci explicatio ab Alc. vs. 477 κούφα σοι χθὼν ἐπάνωθε πέσοι, γύναι, repetenda sit. Quo concesso nihil aliud opponendum nisi „κούφῃ χθονί" et „ἕρμα στερεὸν" nec cogitandum de ἐκβάλλειν in oppositione cum καταμπίσχειν, quo non iam ossa pressum terrae sentire dicerentur. Ergo elegans illa *Scaligeri* coniectura recipienda.

(Herc. fur. 488), de vocis humanae claritate non de umbrarum auditu dubitet itemque communicandi cum inferis difficultatem respiciat Electra, si Agamemnonem ut in Helena interficienda liberos adiuvet implorans alloquitur:

ὦ πάτερ, ἱκοῦ δῆτ', εἰ κλύεις εἴσω χθονὸς
τέκνων καλούντων.

(Orest. 1232), id quod Pyladis verbis confirmatur, qui audire eum asseverat de ultione necis suae rite capta admonitum „εἴπερ εἴσω γῆς ἀκοντίζουσ' ἀραί“ (ibid. 1242), licet nihil demonstrent hi loci in re demonstranda, num Admetus vitae cuiusdam post mortem speciem exploratam habet, si velle se κεῖσθαι dicit φθίμενον μετ' ἐκείνης, τῆς μέγ' ἀρίστης (Alc. 912) et professus non iterum se uxorem ducturum Herculi quaerenti:

μῶν τὴν θανοῦσαν ὠφελεῖν τι προσδοκᾷς;

(ibid. 1093) respondet:

κείνην ὅπουπέρ ἐστι τιμᾶσθαι χρεών.

(ibid. 1094), potius memoriam illius honorate colens quam fide servata umbram in Orco gaudere ratus? Quid? quod Hecuba una cum Troadibus captis mortuos affata Priamum inscium esse existimat calamitatis, qua affecta sit, cuius ignorantiae causam chorus refert ad mortem oculos caligine suffundentem[1]. Atque adeo ex ipsis umbrarum allocutionibus nonnumquam elucet negans defunctorum vitam opinio. Namque quamquam non desunt loci, quibus aut apertum est, vivos eo consilio mortuos affari, ut ab iis audiantur — testimonio sunt Hecubae verba:

ὦ τέκνα, κλύετε, μάθετε ματρὸς αὐδάν.

(Troad. 1294) et Cassandrae:

---

[1]) Apud *Warmboldium* l. c. pag. 31 invenitur: „Priamos' Leichnam war nicht bestattet; deshalb wusste er auch im Hades nichts von dem Unglück, das die Seinigen betroffen.“ Verum apud poetam cur cladem suorum Priamus ignoret chorus his aperit verbis:

μέλας γὰρ ὄσσε κατακαλύπτει
θάνατος ὅσιον ἀνοσίαις σφαγαῖσιν.

(Troad. 1315 sq. ed. *Nauckii*).

οἵ τε γῆς ἔνερθ' ἀδελφοὶ χὠ τεκὼν ἡμᾶς πατήρ,
οὐ μακρὰν δέξεσθέ μ'· ἥκω δ' εἰς νεκροὺς νικηφόρος.

(ibid. 461 sq.) et Electrae canticum Orest. vs. 188 sqq. — aut dubitari potest, num illo consilio utantur, velut in Andromachae exclamatione:

μόλοις, ὦ πόσις, μοι
. . . .
σᾶς δάμαρτος ἄλκαρ.

(Troad. 589, 592) et Hecubae:

(πρεσβυγενὲς Πρίαμε)
κοίμισαί μ' ἐς Ἅιδου.

(ibid. 596) atque in Troadum invocatione coniugum (ibid. 1298 sqq.) et Electrae patris (Elect. 144 sqq.), tamen nihil aliud nisi nenia Homerica subest locis, ubi longiore oratione vel Cadmus dilaceratum filii corpus (Bacch. 1297 sqq.) vel Hercules interfectos coniugem liberosque et arma alloquitur (Herc. fur. 1355 sqq.), nec minus, ubi affectu correptae defunctos allocutione canenda afficiunt matres supplices (Suppl. 806 sqq.) et Troades captivae (Troad. 1075 sqq.), ut non dicam de Electrae meditatione, quam ad corpus Aegisthi profert (Elect. 905 sqq.): ea enim neque ad mortuum neque ad vivam sed ad scaenicum pertinet eventum.

Haec omnia si intuiti erimus, num mirabimur, *Euripidis* opiniones de mortuorum cum vivis coniunctione nihil fere excedere quin potius vix aequare Aeschyleas vel Sophocleas? Quotienscumque enim umbrae implorantur, ut ex Orco auxilium mittant suis calamitatibus oppressis, velut Proteum obsecrat Helena, ut se ab importuna filii cupidine tutetur (Hel. 63 sqq.), Agamemnonem Orestes et Electra, ut iis, qui ante Troiam gloriosa morte occiderint, in societatem ascitis succurrat sibi poenas a matre expetituris (Elect. 676 sqq.), eundem Orestes facinore commisso populi Argivi iudicium timens, ut se servet ex periculo (Orest. 789), Herculemque decessisse rata Megara:

ἄρηξον, ἐλθὲ καὶ σκιὰ φάνηθί μοι.

(Herc. fur. 492) et Achillem Neoptolemus:

πρευμενὴς δ' ἡμῖν γενοῦ
λῦσαί τε πρύμνας καὶ χαλινωτήρια
νεῶν δὸς ἡμῖν πρευμενοῦς τ' ἀπ' Ἰλίου
νόστου τυχόντας πάντας εἰς πάτρας μολεῖν

(Hecub. 534), nunquam missum esse commemoratur quicquam ex Orco in terram, id quod et apud *Aeschylum* et apud *Sophoclem* invenitur. Quin etiam occasione data non tribuit poeta mortuis facultatem sui his rebus immiscendi. Namque Alcestis moribunda si anxia et sollicita est de filiolae sorte futura (Alc. 324 sqq.), quid est magis consentaneum, quam se consolari matrem spe fore ut ex Orco quoque puellae praesidium sit ac tutela? Verum non consolatur. Vel Menelaus si a Proteo petens, ut reddat sibi creditam a Iove quondam coniugem, non posse meminit reddere quippe qui mortuus sit (Hel. 961), nonne eum precaturum exspectamus, ut liberis ille mandet, faciant quod ipse nequeat? Sed non precatur: monet Theonoam, ne quid Helena retinenda de patris laude detrahat (ibid. 965 sqq.).

Tamen cum *Aeschylo* eius inter vivos mortuosque commercii *Euripides* auctor est, ut et possint prodire in terram umbrae et prodeant in scaena. Non modo enim Alcestidem in somnis se visurum esse Admetus sperat:

ἐν δ' ὀνείρασι
φοιτῶσά μ' εὐφραίνοις ἄν.

(Alc. 365), sed etiam Achilles supra tumulum comparuisse dicitur postulans Polyxenae sacrificationem Hecub. vs. 37 sqq. 90 sqq., aliqua sacra armis aureis indutus ibid. vs. 107 sqq. Polydori autem umbra permissu deorum inferorum ex Orco in lucem venit, ut corpus sepeliendum iustoque comploratu prosequendum curet; atque plena praeditus est conscientia, rerum praeteritarum memor, gnarus instantium (cf. Hecub. vss. 1—59).

Nihilo setius heroum quos vocant cultum *Euripides* etiam in imbecilliore positum tradit fundamento, quam apud *Sophoclem* supra cognovimus. Qui cum Oedipodis mortui vim iis, in quorum finibus quieverit, salutarem ad Apollinis ora-

culum revocet (cf. pag. 51), Eurystheus in fabula, quae Heraclidae inscripta est, quam praenuntiat post mortem efficientiam vs. 1032 sqq.:

καὶ σοὶ μὲν εὔνους καὶ πόλει σωτήριος
μέτοικος ἀεὶ κείσομαι κατὰ χθονός,
τοῖς τῶνδε δ᾽ ἐκγόνοισι πολεμιώτατος.

et vs. 1044:

ὑμᾶς τ᾽ ὀνήσω τούσδε τε βλάψω θανών.

efficere non potest, nisi sepultus

οὗ τὸ μόρσιμον
δίας πάροιθε παρθένου Παλληνίδος.

(ibid. 1030 sq.); hanc enim sepulturam cur corpus eius canibus proici iubens prohibeat, ita explicat Alcmena:

μὴ γὰρ ἐλπίσῃς ὅπως
αὖθις πατρῴας ζῶν ἔμ᾽ ἐκβαλεῖς χθονός.

(ibid. 1051 sq.). Ac magis etiam efficientia illa adeo coercita reprimitur eo, quod Theseus quamlibet de mortuorum actione opinionem his negat irridetque verbis:

νεκροὺς δὲ ταρβεῖτ᾽, εἰ κρυβήσονται χθονί;
τί μὴ γένηται; μὴ κατασκάψωσι γῆν
ταφέντες ὑμῶν, ἢ τέκν᾽ ἐν μυχοῖς χθονὸς
φύσωσιν, ἐξ ὧν εἶσί τις τιμωρία;
σκαιόν γε τἀνάλωμα τῆς γλώσσης τόδε·

(Suppl. 544 sqq.). Quae cum dicat Theseus omnino non coactus aperire ad tempus eiusmodi sententiam, ut quae minime notabilis nihil ad Creontis praeconem confutandum valeat, non credidisse apparet *Euripidem* de heroum cultus causa.

Nunciam quid de poenis praemiisque post mortem censuerit poeta quaerentibus recordandum nobis est adeo eum non exploratum habere summum deorum numen adeoque non adquiescere eorum nutu, ut vituperet, qui sancte sint venerandi[1]). Itaque mercedis in Orco opinionis vestigia, quae

[1]) cf. *Lehrs,* Populäre Aufsätze. [2]. pagg. 25. 71. 212. 214.

apertis verbis expressa apud *Sophoclem* desideravimus. etsi cum *Aeschylo* sic praebet *Euripides,* ut et poenas, de quibus ille persuasum habet, obiter commemoret et praemiorum, quae ille ignorat, non prorsus inscius sit, tamen, si rem plane perpenderimus, maiorem fidem *Sophocli* habere, qui nihil fere dicit, quam *Euripidi,* qui dicit de eiusmodi sententia, non dubitabimus.

Ac poenae quidem quae apud eum inveniuntur haec sunt testimonia. Hercules cum furore paulatim decrescente stupefactus se nondum ex Orco redisse existimet, miratur, quod non videt Σισύφειον πέτρον (Herc. fur. 1090); cumque resipiscens calamitatis suae gravitatem cognoverit, imitaturum se dicit τὸν ἁρματήλατον | Ἰξίον' ἐν δεσμοῖσιν (ibid. 1284)[1]; et praeterea Theonoa, postquam Helenam Menelao reddere constituit, quam retinere nefas sit, addit:

> καὶ γὰρ τίσις τῶνδ' ἐστὶ τοῖς τε νερτέροις
> καὶ τοῖς ἄνωθεν πᾶσιν ἀνθρώποις·

(Hel. 1012). Sed hic locus non omnino liber est interpolationis suspicione[2]).

Praemii autem opinio subesse videtur illis verbis, quibus chorus utitur in suprema salutatione Alcestidis:

> εἰ δέ τι κἀκεῖ
> πλέον ἔστ' ἀγαθοῖς, τούτων μετέχουσ'
> Ἅιδου νύμφῃ παρεδρεύοις

(Alc. 756 sqq.)[3]); eodemque pertinet:

---

1) Orest. vs. 5 sqq. et 974 sqq. Tantali quoque poenam Euripides commemorat: neque vero in Orco versatur, sed ad saxum alligatus est inter caelum et terram pendens.

2) *Dindorfius* damnavit hos versus cum sequentibus, quos esse subditivos veri est simillimum. *Nauckius* inclusit. Licet tamen sequentes interpolati sint, quid inde colligitur de his? quorum sententia si non redundat ex poetae indole et ingenio at non repugnat eius rationi.

3) *Warmboldius* l. c. pag. 26 hunc locum vult argumento esse sententiae, quam ita aperit: „Die Geweihten (sc. sacris Orphicis initiati) erlangen im Jenseits einen höheren Grad nach der Lehre dieser Mysterien (sequitur Alc. vs. 756 sqq.), indem sie sich in unmittelbarer Nähe der unterirdischen Gottheiten befinden.“ Verumenimvero interpretationem loci

ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει
ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος.

(frg. 848 vs. 1 sq.). Haec duo cum sola sint tragicorum praemii post mortem persuasionis documenta, nec sperante nec timente quoquam ullo alio loco mercedem futuram quam paucissimis illis quos protulimus, quam iners ea fuerit sententia quamque infirma sat habemus perceptum[1]).

Opinionis de meliore mortuorum quam vivorum statu indicia, ab *Aeschylo* non exhibita, a *Sophocle* levissime significata, si quis deprehensurum se apud *Euripidem* exspectaverit, haud scio an aliquid spei depositurus sit, ubi primum invenerit vel Orestem exclamare:

οἱ γὰρ θανόντες χαρμάτων τητώμεθα.

(Orest. 1084) vel Hecubam Andromachae, cum mortuam prae se Polyxenam sororem felicem praedicet, respondere:

οὐ ταὐτόν, ὦ παῖ, τῷ βλέπειν τὸ κατθανεῖν·
τὸ μὲν γὰρ οὐδέν, τῷ δ' ἔνεισιν ἐλπίδες.

(Hecub. 634 sq.). Tamen eiusmodi indicia *Winiewski*[2]) indagavit eaque quinque, quae iam omnia nobis deinceps penitus sunt examinanda. Ac primum quidem ille profert frgg. 639 et 830, de quibus supra egi (pag. 19). Cum autem frg. 830 apertis verbis ideo collaudetur umbrarum condicio, quod nihil aegrotant nec malis cruciantur, cumque in eandem sententiam dictum esse fragmentum 639 appareat, patet, voce illa, fieri posse, ut τὸ κατθανεῖν sit ζῆν, nihil amplius con-

ab Alcestide in sacra recepta proficiscentem ex sanctuario quodam poetae esse repetitam quis est quin opinetur?

[1]) Itaque quae *Eichstadius* dicit („De humanitate Graecorum in rebus funebribus." pag. V. Inest in progr. acad. Ienensi 1825): „Inde ab hoc tempore (sc. hymni in Cererem vs. 480 sqq.) infixa Graecorum animis, certe cultiorum ex illo populo, sedebat haec sententia, bonis bene post mortem, malis male evenire, dignamque factis in hac vita mercedem unicuique obtingere." tragicorum auctoritate minime confirmantur.

[2]) „Euripidis de animarum post mortem condicione sententia." comment. III. pag. 16 sqq. Inest in: Index lectionum etc. per mens. hibern. a. MDCCCLXIV—V in Acad. Monast. habendarum.

tineri quam dubium esse, an meliore iure morti sit tribuenda ea quam tribuere vitae consuevimus dulcedo et iucunditas[1]. Deinde testimonio utitur *Winiewski* „egregio" quod vocat fragmento 1002:

τὸ μὲν τέθνηκε σῶμα, τοῦτο δ' ἀμβλέπει

„si quidem τοῦτο animus est, ἀναβλέπειν i. q. reviviscere". At si quid aliud τοῦτο est? si κλέος est, ὀργή, φιλία, πόθος? neque ἀναβλέπειν, etiamsi sit reviviscere, in sententiam quadrat: etenim non reviviscere creditur animus sed omnino non interire: licet denique non intereat: num vitam non amittere idem est quod in meliore post mortem versari statu? Postremo *Winiewski* haec duo expromit documenta:

πᾶς δ' ὀδυνηρὸς βίος ἀνθρώπων
κοὐκ ἔστι πόνων ἀνάπαυσις.
ἀλλ' ὅ τι τοῦ ζῆν φίλτερον ἄλλο
σκότος ἀμπίσχων κρύπτει νεφέλαις.
δυσέρωτες δὴ φαινόμεθ' ὄντες
τοῦδ', ὅτι τοῦτο στίλβει κατὰ γᾶν,
δι' ἀπειροσύναν ἄλλου βιότου
κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας·
μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα.

(Hippol. 188 sqq.) et:

ὦ φιλόζωοι βροτοί,
οἳ τὴν ἐπιστείχουσαν ἡμέραν ἰδεῖν
ποθεῖτ' ἔχοντες μυρίων ἄχθος κακῶν·
οὕτως ἔρως βροτοῖσιν ἔγκειται βίου.
τὸ ζῆν γὰρ ἴσμεν, τοῦ θανεῖν δ' ἀπειρίᾳ
πᾶς τις φοβεῖται φῶς λιπεῖν τόδ' ἡλίου.

(frg. 813 vs. 6 sqq.)[2]. Sed scholiastae sequens ad l. c. Hippol.

---

[1] Eodem iure, non minus perperam *Winiewski* potuit afferre Alc. vs. 941 sq.:

φίλοι, γυναικὸς δαίμον' εὐτυχέστερον
τοῦ 'μοῦ νομίζω καίπερ οὐ δοκοῦνθ' ὅμως·

[2] Apud Shakespearium, in tragoedia, quae „Hamlet" inscripta est, act. III. scaen. I. mire quam inveniuntur similia:

explicationem: „ἐκ τοῦ ὀδυνηροῦ βίου στοχάζεται βελτίονα εἶναι τὰ ἐν ᾅδου τῶν ἐν γῇ, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν Πολυΐδῳ: τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν κ. τ. λ.“, qui suas potius proferat alucinationes quam *Euripidis* commentetur verba, in eum incidit errorem *Winiewski*, ut contrariam atque exhibet a poeta repetat sententiam: is enim censet, nos huius vitae quamvis miserae propterea esse amantissimos, quod futurae nullam habemus notitiam. Quapropter si ille dicit (l. c. pag. 18): „Quorum omnium (sc. quinque locorum) sententia haec est: praesens vita humana malis et miseriis plena est, ergo alium necesse est adesse statum felicitatis eumque post mortem“, non probatam his locis eiusmodi sententiam est cur arbitremur.

Neque aliud quicquam de meliore umbrarum statu tradit *Euripides* quam vota eum leviter fortasse attingentia. Medea enim liberis precatur:

εὐδαιμονοῖτον ἀλλ' ἐκεῖ·

(Med. 1061), haud scio an malorum vacuitatem potius quam bonorum usuram spectans, chorusque Alcestidi:

Ὦ Πελίου θύγατερ
χαίρουσά μοι εἰν Ἀΐδα δόμοισιν
τὸν ἀνάλιον οἶκον οἰκετεύοις.

(Alc. 450 sqq.); et eandem Pheres socer alloquitur:

„To die — to sleep; —
To sleep! perchance to dream: — ay, there's the rub;
For in that sleep of death what dreams may come,
When we have shuffled off this mortal coil,
Must give us pause: there's the respect
That makes calamity of so long life;“

Quae perspicua cum poeta recentioris aetatis consensio nonnihil valet ad Euripidis rationem cogitandi sentiendique a priorum discernendam. Ceterum aliam inter Graecum tragicum et Britannicum similitudinem *Weilius* adnotat ad Orest. vs. 288—293 (Sept tragédies d' Euripide etc. pag. 707). Quae ibi enim Orestes patrem si ex eo quaesivisset dicturum fuisse putat de ultione necis a matre petenda, apud Shakespearium umbra patris principis Danici dicit (Haml. act. I scaen. V):

„But, howsoever thou pursu'st this act,
Taint not thy mind, nor let thy soul contrive
Against thy mother aught.“

χαῖρε κἀν Ἅιδου δόμοις
εὖ σοι γένοιτο.

(Alc. 637). Sed his quoque votis quantum tribuemus, neminem unquam se in huius vitae miseriis spe consolari melioris post mortem condicionis eiusque sensum ac conscientiam amplectentis recordati? [1])

Quae cum ita sint, mortalium ii, qui propter aliquam cum dis necessitudinem sopori Orci in excessu eximendi erant, quorum *Aeschylus* et *Sophocles* nisi obiter et brevissime nullam faciunt mentionem, ab *Euripide* alius alio ita transferuntur, ut veteres ex parte fabulas sequatur. Neque vero hoc aeternitatis donum iis per se concessum sed singulis tribui opus est, nam:

καὶ θεῶν σκότιοι φθινύθουσι
παῖδες ἐν θανάτῳ

(Alc. 994). Menelaus igitur in insulam aeternae felicitatis aliquando removetur (Hel. 1677 sq.) eodemque vel potius μακάρων ἐς αἶαν Cadmus (Bacch. 1328); Hercules in caelum receptus est (Heracl. 9. 854 sqq. 871 sqq. 910 sqq.), Helena et ipsa una cum Castoribus diva fiet (Hel. 1667 sqq. Orest. 1639 sqq.), Peleo Thetis immortalitatem condonat, ut in aevum apud Nereum patrem secum sit (Androm. 1225 sqq.), Achilles denique Leuces in Ponti insula habitat (Androm. 1231 sqq.).

His omnibus ex opinionibus cum comparari possit *Euripides* cum *Aeschylo* et *Sophocle*, unam aperit suam propriam

---

[1]) *Warmboldius* l. c. pag. 26 asseverat, Euripidem mysteriis Orphicis fuisse initiatum, cui rei multos tragoediarum eius locos esse documento. E quibus cum unum commemoret fortunam quibuslibet sacris initiatorum praedicantem (Bacch. 72 sqq.), alterum prorsus non ad rem pertinentem (cf. pag. 68 adn. 3), praeter hos cuiusvis modi nullum, *Lobeckii* adhuc integra est sententia, qua non posse diiudicari censet, utrum ipse fuerit Euripides Orphicorum cultor necne, cf. Aglaoph. pag. 622 sqq. Aliud est, quod *Naegelsbachius* dicit (Nachhomerische Theologie VIII, 16) theologiam Orphicam ab Euripide interdum esse receptam. Nam ut theocrasia illa, qua saepius poeta utitur, ad Orphicorum rationem referenda sit utque alia praebeat eorum praeceptis simillima, qui probari potest ea re, ipsum initiatum fuisse illorum sacris? Ceterum si fuisset, haud scio an de mortuorum condicione laetiores apud eum exstarent opiniones.

ab *Anaxagora* praeceptore haud dubie profectam, qua naturam animi aetheriam esse confirmat. Rerum ortus enim ex aethere et terra pendet:

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς Αἰθήρ,
ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,
ἡ δ᾽ ὑγροβόλους σταγόνας νοτίας
παραδεξαμένη τίκτει θνατούς.
τίκτει δὲ βορὰν φῦλά τε θηρῶν·
ὅθεν οὐκ ἀδίκως
μήτηρ πάντων νενόμισται.

(frg. 836 vs. 1 sqq.); interitus autem qui vocatur est dissolutio in principia:

χωρεῖ δ᾽ ὀπίσω
τὰ μὲν ἐκ γαίας φύντ᾽ εἰς γαῖαν,
τὰ δ᾽ ἀπ᾽ αἰθερίου βλαστόντα γονῆς
εἰς οὐράνιον πάλιν ἦλθε πόλον·
θνήσκει δ᾽ οὐδὲν τῶν γιγνομένων,
διακρινόμενον δ᾽ ἄλλο πρὸς ἄλλου
μορφὴν ἑτέραν ἐπέδειξεν.

(ibid. vs. 8 sqq.). Hominis moribundi corpus igitur terrae, aetheri animus debetur. Orcus exinanitur. Haec si spectaverimus, non erit, cur paucis locis, quibus illa *Euripidis* persuasio subest, etsi a plerisque in dubium vocati sunt, fidem demamus. Namque quid offendit in Pyladis asseveratione:

μὴ σῶμά μου δέξαιτο κάρπιμον πέδον
μὴ λαμπρὸς αἰθὴρ πνεῦμ᾽ ἐγὼ προδούς ποτε
ἐλευθερώσας τοὐμὸν εἰ λίποιμί σε.

(Orest. 1086 sqq.), ubi primum cum *Weilio* ita scriptum est?[1]) Aut quid suspectos reddit versus:

ὅθεν δ᾽ ἕκαστον ἐς τὸ φῶς ἀφίκετο
ἐνταῦθ᾽ ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
τὸ σῶμα δ᾽ ἐς γῆν·

---

[1]) Sept tragédies d'Euripide. ed. II. Paris 1879. Codices, quos *Kirchhoffius* sequitur, praebent: μήθ᾽ αἷμά μου δ. κ. π. | μὴ λ. αἰθήρ, εἴ σ᾽ ἐγὼ πρ. π. | ἐλ. τοὐμὸν ἀπολίποιμί σε. *Weilii* coniecturis lux desiderata affertur loco obscuro ac propter obscuritatem suspecto.

(Suppl. 533 sqq.), leni correctione usurpata, quam instituit U. *de Wilamowitz-Moellendorff*?[1]) Quin etiam ferenda sunt, quae filii principum ante Thebas occisorum corporibus patrum crematis cantant:

αἰθὴρ ἔχει νιν ἤδη
πυρὸς τετακότας σποδῷ·
ποτανοὶ δ' ἤνυσαν τὸν Ἅιδαν.

(Suppl. 1148 sqq.), quamquam in versu postremo mira exstat translatio Orcum cum aethere confundens. Dubitari autem potest de Theonoae verbis:

ὁ νοῦς
τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει
ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

(Hel. 1013 sqq.), quae et sententiam ceteris locis prolatam nonnihil excedunt et secum pugnare videntur neque apta sunt contextui[2]). Corruptae vero scripturae nota apertissima inest in voce, qua Orestes ad patrui misericordiam commovendam una secum precari dicit patris umbram:

ὦ πατρὸς ὅμαιμε θεῖε, τὸν κατὰ χθονὸς
θανόντ' ἀκούειν τάδε δόκει, ποτωμένην
ψυχὴν ὑπὲρ σοῦ καὶ λέγειν ἁγὼ λέγω
ταῦτ' εἴς τε δάκρυα καὶ γόους καὶ συμφοράς.
εἴρηκα κἀπῄτησα τὴν σωτηρίαν
θηρῶν ὃ πάντες κοὐκ ἐγὼ ζητῶ μόνος.

(Orest. 667 sqq.)[3]). Nam licet in terram ex Orco prodeant umbrae aut pennigerae abeant in aethera, tamen ab inferis

---

[1]) Analecta Euripidea. Inest Supplicum fabula ad codicem archetypum recognita. Berolini 1875. — Locum interpolatum existimaverunt *Kirchhoffius, Lehrsius, Nauckius,* alii, quod a Stobaeo flor. 123, 3 Moschioni tribuitur. Errasse Stobaeum *Meinekius* demonstravit, cf. U. *de Wilamowitz-Moellendorff* l. c. pag. 101 adnot. ad vs. 531—536.

[2]) *Dindorfium* hos versus una cum praecedentibus damnasse, *Nauckium* inclusisse supra dixi (pag. 68 adn. 2). *Lehrsius* et ipse locum interpolatum putat, cf. Populäre Aufsätze. [2]. pag. 340 adn.***).

[3]) Praeferendas censeo lectiones, quae praebentur a *Weilio:* vs. 668 παρόντ' ἀκούειν —, a Godofr. *Hermanno* et *Weilio:* vss. 669/70 λέγω. ταῦτ' —, 670/71 συμφορὰς εἴρηκα —, 671/72 σωτηρίαν, θηρῶν —.

evolatas supra capita hominum volitare ne per translationem quidem dici potuit; proficisceretur enim a cogitatione, quam pro persuasionum suarum universitate *Euripides* concipere nequibat, cum aliud sit umbram fingere in terram progressam eamque quibuslibet vivorum facultatibus exornatam, aliud oculis omnino non expositam certo in loco inducere collocatam atque eam inaudita motione praeditam[1]). Quocirca „ποτωμένην“ vs. 668 leni correctione mutare proponam in „πονουμένην“: „te propter (= propter tuum in me animum) laborantem“[2]).

---

[1]) Tractationi opinionis de animi natura aetheria adnexui hunc locum, quippe quo haud scio an gravius offenderemur, nisi illa exstaret.

[2]) Facere non possum, quin *Warmboldii*, cuius saepius supra impugnavi sententiam, vel certis argumentis carentem vel omnino non praemunitam, improbans refutansque proferam de paucis opinionem. Ac primum quidem apud eum legitur l. c. pag. 17: „Welchem Stande der Einzelne im Hades angehören wird, darüber schien besonders die Art des Todes entschieden zu haben. So können Sklaven durch einen furchtlosen Tod sich das Anrecht auf jene höhere Stufe der Seligkeit erwerben, während Freigeborene anderseits durch einen schmachvollen diesen Vorzug verlieren.“ Cuius rei argumento a Polyxenae voluntaria morte repetito haec adduntur: „Zugleich mit der Erlangung dieser höhern Stufe der Seligkeit muss sie aber auch die Hoffnung schwinden lassen, mit ihrer Mutter nach dem Tode vereinigt zu werden; sie sagt Hecub. 418: ἐκεῖ δ' ἐν Ἅιδου κείσομαι χωρὶς σέθεν.“ Quae cum dicit Polyxena, nihil aliud dicit nisi: „in Orco iacebo sine te, quippe in luce versante“: ubi tandem altioris gradus beatitudinis significatio? At prorsus non quadrat Polyxenae exemplum, quo reiecto quomodo confirmari possit opinio exprompta non intellego. Polyxena captiva est: apud inferos utrum mansura sit captiva necne ignorat ignoretque necesse est si non aliam ob causam certe ob eam, quia de re adventicia agitur. Servili autem si se praeberet animo ad mortem se trahi patiens, qui fieri poterat, ut aliter de ea iudicaretur ab umbris atque ex animo exhibito? Quocirca ut ne pro serva in Orco habeatur libero arbitrio quamvis captiva supremam subit necessitatem. Haec neque aliud quicquam nisi haec significant eius verba vs. 547 sq. „ἐν νεκροῖσι γὰρ | δούλη κεκλῆσθαι βασιλὶς οὖσ' αἰσχύνομαι“: nec de ordine, in quo futurum sit, ut mortua numeretur, cogitat neque exemplum praebet ordinis ex moriendi ratione pendentis.

Non minus testimoniorum expers est opinio, quam *Warmboldius* eodem loco paulo inferius profitetur: „Ganz besonders von denjenigen war man

Comparatis iam *Homeri* et tragicorum de ipsa umbrarum condicione opinionibus sequitur, ut de natura Orci et de ceteris eius incolis agamus, qua in collatione eadem quae supra apparuit discrepantia nobis occurret. Nam et *Homerus* et

---

überzeugt, dass sie im Jenseits vereint leben würden, welche zu gleicher Zeit gestorben waren." Ea enim quae profert eiusmodi persuasionis exempla ad irritum cadunt. Nam Euadne si in rogum mariti incensum praecipitat, e vita discedere non ideo properat, quo certiorem habeat cum coniuge apud inferos consuetudinem, sed quia id ipsum commercium pro certo habens impatiens est eius quam sperat laetitiae dilationis. Etiam longius autem ab ea sententia absunt verba, quibus Electra Clytaemnestram per ludibrium prosequitur: νυμφεύσῃ δὲ κἀν Ἅιδου δόμοις | ᾧπερ ξυνηῦδες ἐν φάει (Elect. 1144). Quae qui demonstrare possint, fore ut eodem tempore mortui magis certiusque quam alter post alterum decedentes inter se consocientur in Orco, quis est cui liqueat?

Planius quoque *Warmboldio* sententia dicenda fuit, quam exhibet l. c. pag. 33 verbis: „Und doch bedarf gerade der Tote am meisten der Freunde Herc. fur. 266: κἄπειτα πράσσω πόλλ' ἐγὼ φίλους ἐμοὺς θανόντας εὖ δρῶν οὗ φίλων μάλιστα δεῖ;" Is enim locus hoc significat: „Num levia et a me aliena curo mortuos beneficio afficiens, ubi (vel in ea re in qua) amicis (vel amicorum auxilio) maxime opus est?" At si qui auxilii indiget in periculo sit necesse est, quis tandem periclitatur, amicus mortuus an eius progenies? Nihil aliud puto Euripidem sensisse nisi transferendam esse amicitiam post mortem amici ad eos, qui societate quadam cum illo coniuncti sint, iisque adiuvandis mortuum vel gaudere vel pia coli memoria.

Graviore videtur implicatus errore *Warmboldius,* quod, postquam l. c. pag. 23 pauca de Anaxagorae philosophia praefatus haec dixit: „Sein Schüler Euripides hat den Versuch gemacht, aus den Behauptungen und Lehren der anaxagoreischen Philosophie die Eschathologie (sic! quinquies pag. 21—26) wissenschaftlich zu begründen, und wir werden sehen, zu welchen Resultaten er dabei gelangt", ad philosophi Clazomenii doctrinam revocat opinionis, qua Euripides mortuis quemvis sensus ac conscientiae modum abrogat, originem l. c. pag. 23 sqq. Nam cum quid Anaxagoras de immortalitate animi censuerit prorsus incertum sit (cf. *Zeller,* Die Philosophie der Griechen. I. ed. 4. Leipzig 1876. pag. 908 conl. adnot. 2), fieri non potest, ut perspiciatur, quatenus in hac re poeta pendeat a philosopho. A quo licet profecta sit Euripidis quam supra commemoravi animi aetherii cogitatio, tamen sententiam quamvis vitae post mortem speciem negantem ab Euripide quoque haustam esse ex principalibus illis populi persuasionibus, quae in naturali quodam fundamento collocatae ne in summa quidem omnium rerum commutatione penitus dilapsae erant, id quod item supra ostendi, veri est simillimum.

Aeschylus, Sophocles, Euripides Orcum sic descripserunt, ut condicioni, qua defuncti apud eos utuntur, conveniat. Itaque mortuorum sedes Homerica vastissima, desertissima, incultissima, Aeschylea, Sophoclea, Euripidea magis magisque culta, habitata, figurata invenitur.

Atque *Homeri* quidem Orcus non umbrarum sed deorum inferorum habetur domicilium; umbris enim, quoniam nihil sunt, non tam sede opus est quam conditorio quodam. Quare proprio nomine carens — Ἀίδης vel Ἀιδωνεύς vel (Ἄϊς) genet. Ἄϊδος deum significat, nunquam locum[1]) — δόμος Ἄϊδος appellatur Γ 322 Η 131 Λ 263 Ξ 457 Υ 336 Ω 246. ι 524 sae-

Omnium minime autem probatam existimo opinionem, quam *Warmboldius* l. c. pag. 26 his verbis profert: „Endlich finden wir auch Anklänge an die Lehre von der Seelenwanderung bei Euripides.“ Nam chori illud canticum Herc. fur. 654 sqq., quo testimonio utitur, quomodo referri possit ad transitionem animorum caligine obscurius est. Iuventute enim carmine strophico vs. 637 sqq. cum ardore quodam praedicata atque senectutis detestatione facta chorus in antistropha dicit, deos, si sapientes essent cumque sapientia hominibus sortes tribuerent, bonis reditu ex Orco in lucem concesso duplicem iuventutem, simplicem malis negata reversione fuisse donaturos. Eiusdem fere voti Suppl. vs. 1085 sqq. Iphis auctor est — id quod *Warmboldius* non commemorat —, qui stultitiae corrigendae causa vitam iterare cupit. Verum his desideriis esse quicquam cum persuasione, qua animi aliunde alio transeunt et domicilia mutant, quis est qui concoquat?

[1]) Sunt qui aliter censeant. *Retzlaffius* (Vorschule zu Homer. vol. II. ed. 2. Berlin 1881. pag. 47) eximit Ψ 244 εἰς ὅ κεν αὐτὸς ἐγὼν Ἄϊδι κεύθωμαι. Nonne autem eo loco Ἄϊδι pro dativo personae rei participis habere minus facessit negotii, quam eiusmodi statuere ἅπαξ λεγόμενον? — *Spielmannus*, cuius supra (pag. 24 adn. 2) commemoravi commentationem, l. c. pag. 31 dicit: „Hades ist ursprünglich der Raum unter der Erde A 3, κ 560 und als solchem werden ihm vielleicht nach ägyptischem Vorbilde Thore zugeschrieben E 646 Θ 367. Er ist das Reich der Unteren, das Totenreich, in welchem Aidoneus herrscht E 190 Υ 61. Dann ist Hades mythisch geworden E 395, 654, 845, denn er erhielt bei der Teilung der Weltherrschaft ζόφον ἠερόεντα und heisst Ζεὺς καταχθόνιος, ἄναξ ἐνέρων. . . . . Der Begriff des Raumes beim Worte Hades schwebte dem Griechen so lebendig vor Augen, dass λ 635 Persephoneia als Person von Hades als Raum geschieden ist und mythisch zur Alleinherrscherin im Reiche der Toten wird.“ Sed prorsus nescio, quo haec referenda sint. Ad Homerum praeter locorum notas aliud quicquam rettulisse ne *Spielmannum* ipsum quidem credibile est.

pius[1]), δόμος Ἀΐδεω κ 512, δόμοι Ἀΐδαο Χ 52 482 Ψ 19 103 179. δ 834 κ 175 491 564 ξ 207 ο 350, δῶμ' Ἀΐδαο Ο 251. μ 21; in loci autem definitionibus quibusdam etiam simplicius dicitur: Ἀϊδόσδε Η 330 Π 856 Υ 294. γ 410 ζ 11 λ 475, εἰς Ἄϊδος κ 502, εἰς Ἀΐδαο Φ 48 Χ 213. λ 425 μ 383, εἰν Ἀΐδαο Χ 389, εἰν Ἄϊδος Ω 593, ἐξ Ἀΐδαο Ψ 76, ἐξ Ἀΐδεω λ 635 μ 17.

Tragici, etsi *Sophocles* et *Euripides Homerum* ita sequantur, ut inveniatur apud illum εἰν Ἅιδου δόμοις (Ant. 1241), Ἅιδα δόμων (Trach. 120), ὦ δῶμ' Ἀΐδου καὶ Περσεφόνης (Elect. 110), apud hunc εἰς Ἅιδου δόμους (Alc. 73, Ion. 1276), κἀν Ἅιδου δόμοις (Alc. 637, Elect. 1144), Ἅιδου δ' ἐν δόμοις (Ion. 958), εἰν Ἀΐδα δόμοισιν (Alc. 450), Ἀΐδα δόμοις (Herc. fur. 116), τὸν Ἅιδα δόμον (Heracl. 912), δώματ' εἰς Ἅιδου (Herc. fur. 609), Ἅιδα θαλάμους (Hecub. 479), Ἅιδου τ' ἐρεμνῶν .... μυχῶν (Heracl. 218), ἐξ Ἀΐδα τεράμνων (Alc. 471), Πλούτωνος δῶμα ... νέρτερον (Herc. fur. 800), Περσεφονείας ... θαλάμους (Suppl. 1024), τῶν κάτω Κόρης ἄνακτός τ' εἰς ἀνηλίους δόμους (Alc. 864), ἐξ ἀνηλίων μυχῶν Ἅιδου Κόρης τε (Herc. fur. 606), νερτέρων ἐκ δωμάτων (Alc. 1075), tamen non modo proprio vocant nomine Orcum (cf. *Aeschyl.* Prom. vs. 153 νέρθεν Ἅιδου, ibid. vs. 1024 εἰς Ἅιδην μολεῖν — *Sophocl.* Oed. R. vs. 30 μέλας δ' Ἅιδης στεναγμοῖς καὶ γόοις πλουτίζεται[2]), Ant. vs. 822 θνητῶν Ἀΐδην καταβαίνειν, Elect. vs. 834 οἴχεσθαι εἰς Ἀΐδαν, Ai. vs. 660 νὺξ Ἅιδης τε, ibid. vs. 1194 δῦναι τὸν ... Ἅιδαν, frg. 748 στενωπὸς Ἅιδου — *Eurip.* Herc. fur. vs. 425 πολυδάκρυος Ἅιδας, Androm. vs. 533 Ἅιδην χθόνιον καταβήσῃ, Suppl. vs. 801 ἐς Ἅιδην καταβᾶσα. ibid. vs. 1007 ἐς Ἅιδαν καταλύσουσ' .... βίοτον), sed etiam vocibus significant, quibus ad sedem spectent umbrarum. *Aeschylus* enim praebet: νέρθεν Ἅιδου τοῦ νεκροδέγμονος (Prom. 153), πάνδοχον εἰς ...

---

[1]) Neque hic neque alibi operam dedi, ut omnes qui afferri possunt locos colligam; neque enim re proposita exigitur.

[2]) Ad deum, non ad locum revocatum invenio versum ab editt. nec minus ab *Ellendtio,* Lex. Sophocl. ed. 2, cur. Genthe, sub voce „μέλας“, ubi additur: „deo enim tribuitur, quod eius sedi convenit“. Verum nescio, quid impediat, quominus tribuatur cui conveniat sedi. Nam etsi de rebus dici „πλουτίζεσθαι“ in praesens non habeo quo confirmem, tamen conici licet ex usu verbi „πλουτεῖν“, quod cum subiectis impersonalibus coniungi constat.

χέρσον (Sept. c. Theb. 839), θαλάμους ὑπὸ γῆς (Pers. 616) — *Sophocles:* τὰν παγκευθῆ κάτω νεκρῶν πλάκα (Oed. Col. 1563), τὸν παγκοίταν θάλαμον (Ant. 804), ὁ παγκοίτας Ἅιδας (ibid. 810), ἐξ Ἀίδα παγκοίνου (Elect. 137), τὸν πολύκοινον Ἅιδαν (Ai. 1194), τὸ νερτέρων εὔνουν διαστὰν γῆς ἀλύπητον βάθρον (Oed. Col. 1662), τὰν χθόνιον ἑστίαν ἰδεῖν (ibid. 1726); et praeterea: Ἅιδου οἰκήτορες = mortui (Trach. 282), Ἅιδου φθίμενος οἰκήτωρ (ibid. 1161), Ἅιδου θανασίμους οἰκήτορας (Ai. 517), τὰ δ' ἄλλ' ἐν Ἅιδου τοῖς κάτω μυθήσομαι (ibid. 865), μέθες τὴν παῖδ' ἐν Ἅιδου τήνδε νυμφεύειν τινί (Ant. 654), Ἀχέροντι νυμφεύσω (Ant. 816), — *Euripides:* νεκρῶν κευθμῶνα (Hecub. 1), νεκύων ἐς αὐλάν (Alc. 269), ὃς γᾶς ἐξέβα θαλάμων (ibid. 799), κοινὸν ἐς Ἅιδην (Suppl. 801); et praeterea: Ἅιδην .... εἰσιδεῖν (Heracl. 514), πάλιν ὑποστρέφει βίοτον εἰς Ἅιδαν (Herc. fur. 733), ὦ κάτω γῆς ... οἰκῶν πάτερ (Elect. 676), οἰκεῖ νερτέρας ὑπὸ χθονὸς (frg. 454), τὸν ἀνάλιον οἶκον οἰκετεύοις (Alc. 451), κεῖν' (sc. φθιμένων) ἐπιθυμῶ δώματα ναίειν (ibid. 880), ὃν κατὰ γᾶς .... χθόνιον .... ἐδόκουν ναίειν (Ion. 1445), θέλω τὸ κατὰ γᾶς κνέφας μετοικεῖν (Hippol. 831), Ἅιδου δ' ἐν δόμοις παιδεύεται (Ion. 958), ἐς Ἅιδου νυμφίῳ γαμώμεθα (Troad. 447); simili modo: Ἅιδην νύμφιον κεκτημένη (Orest. 1109), Ἅιδης νιν ὡς ἔοικε νυμφεύσει τάχα (Iphig. Aulid. 457)[1]).

Situm esse *Homeri* Orcum sub terra documento sunt X 482 νῦν δὲ σὺ μὲν ῥ' Ἀίδαο δόμους ὑπὸ κεύθεσι γαίης | ἔρχεαι, Γ 278, ubi dei inferorum ὑπένερθε habitare dicuntur, Σ 333 εἶμ' ὑπὸ γαῖαν i. e. in Orcum migrabo, moriar, Ψ 100 ψυχὴ δὲ κατὰ χθονός, ἠύτε καπνός, | ᾤχετο, alii loci Iliadis; Odysseae autem, cum non pauci versus in λ, ω, aliis libris mea qui *Kammerum* sequar opinione subditivi sint, unus tantum, verum qui refelli non possit, υ 80, ubi Penelopa aegritudine sollicitata mortem sibi his expetit verbis: ἠέ μ' ἐυπλόκαμος βάλοι Ἄρτεμις, ὄφρ' Ὀδυσῆα | ὀσσομένη καὶ γαῖαν ὕπο στυγερὴν ἀφικοίμην.

Etsi vero habitationem mortuorum sub terra collocare cogitationis tam naturalis simplicisque est, ut intellegere quomodo alia exsistere potuerit opinio difficile sit, tamen diu et usque adhuc magnam fuisse inter viros doctos de situ vel de

---

[1]) Apud Homerum quae inveniuntur translationes pro „mori", „mortuum esse" (cf. *Kammeri* l. c. pag. 512 adnot. **)) nunquam a mansione inferna sed a migratione repetuntur.

introitu Orci dissensionem quis est quin sciat?[1]) Erant qui F. A. *Wolfio* auctore[2]) Orcum Iliadis in profundo terrae recessu, Odysseae autem trans Oceanum in ultimis terrae occidentalis finibus situm esse censerent. Quorum opinioni iam J. H. *Vossius* obstitit, cum unum Orcum subterraneum eiusque introitum in occidente situm coniceret[3]). *Vossii* sententiam *Nitzschius* secutus est[4]); alii aliis ducebantur persuasionibus[5]). Mirificam opinionem ante hos viginti fere annos exprompsit Guil. *Jordanus* in commentariolo, quod inscribitur „Der Hadeseingang nach der Odyssee“ [6]), cuius summa his continetur verbis: „Das Totenreich bleibt für Homer gleichfalls unter der Erde, die kühne Neuerung der Odyssee besteht darin, dass sie ihren Helden anstatt des Weges hindurch, den Weg um die Erdscheibe herum einschlagen lässt; es ist eine Columbusthat der Poesie, ein höchst merkwürdiger Schritt der Annäherung zu richtigeren Vorstellungen von der Configuration der Erde.“ De qua persuasione dubito an melius iudicari non possit, quam a *Kammero* factum est, qui eam festivissime cavillatur[7]); quis enim tales nugas ad serium referet? Quantas autem in angustias adducatur qui res inter se discrepantes quacumque ratione copulare studet, vir doctus quidam natione Francogallus[8]) tribus ante lustris expertus est. Ita enim conatur declarare, cur duplex apud *Homerum* Orcus sit, ut dicat, antiquissimam fuisse opinionem, mortuos in occidente trans Oceanum supra terram habitare;

---

[1]) cf. *Nitzsch,* Erklärende Anmerkungen zu Homers Odyssee. vol. III. pag. XXXV.

[2]) Vorles. üb. d. Geschichte der Griech. Litter. pag. 150.

[3]) Alte Weltkunde pag. XIV et XXIV. Krit. Blätt. vol. II. pag. 306—310. 347—353. Antisymbol. vol. I. pag. 206.

[4]) l. c. vol. III. pag. 187.

[5]) cf. *Nägelsbach-Autenrieth*, Homerische Theologie. [3]. p. 465.

[6]) Inest in: *Jahns* Jahrbücher für Philologie und Pädagogik. 105. Bd. Leipzig 1872.

[7]) l. c. pag. 486 sqq.

[8]) Th.-H. *Martin,* Traditions homériques et hésiodiques sur le séjour des morts. Inest in: Annuaire de l' association pour l' encouragement des études grecques en France. 12e année. 1878.

sed cum factum esset, ut postremo Orcus in diversissimis regionibus iisque nimis notis quaereretur, sub terra eum esse positum, cuius rei nonnulla apud *Homerum* exstare vestigia[1]).

His omnibus difficultatibus *Kammeri* sententia medetur. Tota igitur Orci occidentalis aut introitus eius in occidente siti persuasio a duabus necyiis repetita locis nititur oriundis ex poetae inventione, qua impulsus colloquentem facit cum inferis Ulixem; non enim relata, non fama refert poeta et auditione accepta, sed cum ceterum tum ea in re certum beneque consideratum sequitur consilium. Cum autem non ignoret, mortuis Orcum ubique praebere introitum — ipse enim nullo unquam itinere animae commemorato pro „ἀποκτείνειν“ dicit πέμπειν εἰς Ἀΐδαο aut Ἄϊδι προϊάπτειν et pro „ἀποθνήσκειν“ Ἄϊδόσδε κατιέναι vel ἰέναι εἰς Ἀΐδαο vel δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκεσθαι — vivis nusquam patere eius aditum, ut in re ficta et commenticia, quoniam defunctis nullum est cum vivis commercium, Ulixis, quippe qui in navi vehatur, cum mortuis Graecorum principibus colloquium in regionem transfert non minus, quam est Orcus subterraneus, ignotam atque obscuram et Oceano, ut naviganti pervia sit, finitimam, in nebulosos ultimae terrae occidentalis fines. Qua umbrarum sede poetica, cum exstaret in antiquissima primae necyiae parte, posteriores qui eam excolebant et producebant poetae et propter opportunitatem et eam ob causam usi sunt, quia pressa semel vestigia iis erant persequenda: multo minus enim offendebat vulgarium persuasionum cum poetarum dissensio, quam conspicua eodem in carmine eodemque fere in loco de re eadem neque ea levi discrepantia. Unus et idem igitur si non invenitur apud *Homerum* at certe ab *Homero* creditur Orcus atque is subterraneus.

Tragicos sub terra collocasse sedem umbrarum vix est quod in dubium quispiam vocaverit. *Aeschyli* opinionem aperiunt Orci appellationes θάλαμοι ὑπὸ γῆς (Pers. 616) et οἱ ἔνερθε καὶ κάτω χθονὸς τόποι (Eum. 977), loci definitiones γᾶς νέρθεν (Choeph. 38),

---

1) cf. l. c. pag. 6: „Ayant transporté dans des régions trop connues l'entrée du séjour des morts on était dès lors obligé de cacher sous la terre ce royaume d' Hadès.“

ἔνερθε χθονός (Eum. 275), κατὰ χθονός (Choeph. 352. Pers. 674), ὑπὸ σώματι γᾶς (Sept. c. Theb. 925), Orestis verba: ὦ γαῖ' ἄνες μοι πατέρ' ἐποπτεῦσαι μάχην (Choeph. 486) Dareique ad inferos redeuntis: ἐγὼ δ' ἄπειμι γῆς ὑπὸ ζόφον κάτω (Pers. 824)[1]. Apud *Sophoclem* mortui dicuntur οἱ κάτω (Ai. 865. Ant. 75), οἱ ὑπὸ χθονός (Ant. 65), οἱ ἔνερθε νεκροί (Ant. 25), domiciliumque eorum κεῦθος νεκύων (Ant. 818) et νέρτεραι νεκρῶν πλάκες (Oed. Col. 1576); praeterea autem legimus: ὦ πάτερ, ὦ φίλος, | ὦ τὸν ἀεὶ κατὰ γᾶς σκότον εἱμένος (Oed. Col. 1700 sq.) et τὰν παγκευθῆ κάτω | νεκρῶν πλάκα (ibid. 1564) et ὁ δὲ θανὼν | κεύθει κάτω δὴ γῆς (Oed. R. 967)[2]. *Euripidis* Orcus vocatur ἡ νερτέρα χθών (Alc. 47. Herc. fur. 335. frg. 454); pro voce „ex Orco" redditur νέρθεν (Herc. fur. 620. 1157), pro „in Orco" κάτω (frg. 639), κάτωθεν (Alc. 438), κάτω χθονός (Alc. 45. Heracl. 592), κατὰ χθονός (Hel. 344. Heracl. 1034), κατὰ γᾶς (Alc. 245. Suppl. 1026. Hippol. 1357), ὑπὸ χθονός (frg. 734), ὑπὸ χθονί (Herc. fur. 617), νέρθεν (ibid. 1404), γῆς νέρθεν (ibid. 515), παρὰ νερτέροις (Med. 972).

Quae praeterea de Orci natura traduntur perpauca sunt. *Homerus*[3]) domui Plutonis portas tribuit (cf. Ε 646 Ι 312.

[1]) *Hofmannus* l. pag. 56 adn. 1 c. pag. 16 si opinionem de Orci introitu occidentali inesse putat in chori verbis: ξυμπίτνων στένει βυθός, | κελαινὸς Ἄϊδος ἐμβρέμει μυχὸς γᾶς (Prom. 432 sq.), primum de occidente errat, quod locum ad Atlantem refert, qui ad Prometheum haud dubie spectat; introitus autem ne perperam quidem referenti intellegendus erat, quoniam „penetrale" significatum est a poeta.

[2]) *Hofmannus* l. pag. 56 adn. 1 c. pag. 18 vocem ἀκτὰν ἑσπέρου θεοῦ, qua Sophocles regionem inferorum significat Oed. R. vs. 178, commonefacere dicit „an die populäre Vorstellung von einem im Westen beginnenden Hades". At quidnam causae est, cur illam opinionem vulgo inculcet? An tragicos eam propterea non esse secutos putat, ut a vulgari sententia discreparent? Immo nec vulgus unquam eiusmodi persuasione usum est, nec Sophocli erat de ea cogitandum. Num quis enim Plutoni, qui vocatur ἐννυχίων ἄναξ (Oed. Col. 1559) et ἔννυχος Ἅιδης (Trach. 501), vel Mercurio, quem Aeschylus appellat νύχιον Ἑρμῆν (Choeph. 715), esse quicquam existimabit cum septentrionibus, recordatus Sophoclis illarum νυχιᾶν ῥιπᾶν (Oed. Col. 1248)? ἑσπέρῳ deo cum occidente esse existimabit, quia ἕσπερος potest intellegi occidentalis? At saepe intellegitur. Vespertinus si antea semel, hoc loco iterum. Nonne enim deum in tenebris habitantem qui nocturnus vocetur vespertinum dicere convenientius est quam occidentalem?

[3]) *Kammeri* de rebus infernis apud Homerum sententiam sequenti

ξ 156); per quas *Aeschyli* quoque κελαινὸς Ἄϊδος μυχὸς γᾶς (Prom. 433)[1]), *Sophoclis* ἄσκοποι πλάκες (Oed. Col. 1681) vel παγκευθὴς κάτω νεκρῶν πλάξ (Oed. Col. 1563) vel νέρτεραι νεκρῶν πλάκες (Oed. Col. 1576), *Euripidis* μυχοὶ χθονός (Suppl. 546. ibid. 928. Herc. fur. 37) vel γῆς μυχοί (Troad. 946) intrantur (cf. *Aeschyli* Ag. vs. 1236 Ἅιδου πύλας δὲ τάσδ' ἐγὼ προσεννέπω. *Sophoclis* Oed. Col. vs. 1569 sqq. θηρὸς, ὃν ἐν πύλαισι | ταῖσι πολυξένοις[2]) | εὐνᾶσθαι κνυζεῖσθαί τ' ἐξ ἄντρων | ἀδάματον φύλακα παρ' Ἀίδᾳ | λόγος αἰὲν ἔχει[3]). *Euripidis* Hippol. vs. 56 οὐ γὰρ οἶδ' ἀνεῳγμένας πύλας Ἅιδου, ibid. vs. 892, Med. vs. 1223 εἰς Ἅιδου πύλας, Alc. vs. 128 Ἅιδα τε . . . πύλας, Hippol. vs. 1441 νερτέρων ὁρῶ πύλας, Hecub. vs. 1 σκότου πύλας). Sed etiamsi per portas aditum praebet, tamen solis radicibus nunquam collustratur inferorum domicilium. Sempiterna igitur caligine et maligno quodam humore laborans ab *Homero* vocatur ζόφος ἠερόεις (O 191 Φ 56 Ψ 51) et οἰκία εὐρώεντα (Υ 65). Simili modo *Aeschylus* Orcum dicit κελαινόν (Prom. 433) vel ἀναύγητον (ibid. 1024) et *Sophocles* ἄϊδηλον (Ai. 608)[4]) vel μέλαν (Oed. R. 30)[5]); atque apud *Euripidem* ad tenebras infernas referenda sunt τὸ κάτω σκότος (Herc. fur. 562), τὸ γᾶς σκότος (Hecub. 207. Hel. 61), τὸ κατὰ γᾶς κνέφας (Hippol. 831), ὁ γῆς ζόφος (ibid. 1410), ἡ χθονὸς μέλαινα ὄρφνη (Herc. fur. 46), τὰ

---

omnes mihi versus reiciendi sunt, in quibus inhomericam quam vocant inesse Orci descriptionem puto.

1) Quae frg. 235 ἁπλῆ γὰρ οἶμος εἰς Ἅιδου φέρει commemoratur Orci via non una dicitur sed simplex, cum per tenebras ferat ubique aeque caliginosas.

2) cum *Nauckio* et *Schneidewinio* pro lib. φασὶ πολυξέστοις.

3) Ad Orci Sophoclei portas referendum esse frg. 359 ψυχῆς ἀνοῖξαι τὴν κεκλῃμένην πύλην, id quod conicitur in adnot. ad voc. πύλη in Lex. Sophocl. comp. *Ellendt*, ed. alt. cur. Genthe, veri existimo dissimillimum.

4) Dubitatur, num tenebricosus sit ἀΐδηλος. Sunt qui reddant „ἀφανίζων“, in his *Curtius* (Grundz. d. griech. Etymol.[4]. pag. 644: ἀΐδηλος active = ἀφανίζων, ἀΐζηλος passive = ἀφανής); *Goebel* (Lexilog. z. Hom. II. pag. 501): „Ἀ-ϝίδ-ηλος bzw. das Simplex ϝίδ-ηλος ist gebildet, wie ἕκ-ηλος (ϝεκ.) mit ἀϝεκ-ήλιος (Erweiterung von *ἀϝέκ-ηλος) und bedeutet nicht ἀφανίζων (*Buttm.*, *Curt.* etc.), sondern in-visus = verhasst, abscheulich.“ Nostro tamen loco cum ea significatio praecedenti subsit voci „ἀπότροπον“, nihil esset, quod tautologiam excusaret.

5) cf. pag. 78 adn. 2.

μέλαθρα νύχια (Hel. 177), αἱ ἕδραι σκότιαι (Alc. 127), ἡ ζοφερὰ ἀδίαυλος ἕδρα (frg. 860), οἱ ἀνήλιοι μυχοί (Herc. fur. 606), ὁ ἀνάλιος οἶκος (Alc. 451). Quae cum ita sint, *Homero* umbrarum conditorium, ut omnia, quae cum morte cohaerent, odiosissimum est; quare appellatur et οἰκία σμερδαλέα (Υ 65) et γαῖα στυγερή (υ 81). Tragicorum *Sophocles* unus Orcum δυσκάθαρτον vocat (Ant. 1284) et ἀπότροπον (Ai. 608).

Fluminum inferorum *Homerus,* si versus ii, quos cum *Kammero* excludimus, non curantur, nullum commemorat nisi Stygem, cuius simul cum caelo et terra testatione dis gravius non est iusiurandum. Iurat per eam Hera Ξ 278 O 37 et Calypso dea ε 185. Utrum illud flumen autem sedem mortuorum circumfluat an per penetralia feratur, unde profluat, quo se effundat minime apparet, cum is Iliadis locus (Θ 362—369), ubi Minerva dicit, se Herculem iussu Eurysthei ut Cerberum in terram educeret ad inferos descendentem non adiuturam fuisse in effugièndis Stygis fluctibus, si cognitum habuisset ingratum Iovis animum, dubitari possit an interpolatus sit. Licet enim levius putetur quod *Nitzschius* monet[1]), Minervam haud ita apte iactare auxilium Iovis filio saepius latum, quoniam Iuppiter illo non iam vivo fruatur (cf. Σ 117), utque non multo gravius sit quod moneri potest, duodecim Herculis laborum praeter unum illum apud *Homerum* exstare nullum, tamen alia necessario affertur dubitatio ei, qui *Kammeri* de inferis Homericis sequitur sententiam, neque ea neglegenda. Nam Ulixis ad inferos descensus si non a fama antiquitus accepta sed ab ipsius poetae ingenio repetitur, quia vitae in Orco persuasio *Homeri* aetate adeo est nulla, ut homo vivus atque mortalis ne minimam quidem possit habere cum mortuis rationem, quomodo Hercules excipi potest? At Iovis filius est. Quid tandem voluit apud inferos? Canem arcessere dei inferorum. Quemnam canem? num eum, quem *Aeschylus* et *Pindarus* ignorant, *Sophocles* et *Euripides* commemorantes nondum nominant[2]), qui non habeat opinor quem custodiat,

[1]) l. c. vol. III. pag. 181.

[2]) de Hesiodi locis Theog. vs. 310 sqq. et 767 sqq. infra agetur.

quoniam nondum quicquam agunt mortui, nondum profugere cogitant, cum omnino nihil cogitent? Itaque Cerberus nisi vero catellus est, quem Pluton et Proserpina in deliciis habent, fieri non potest ut *Homero* notus sit; quocirca totum illum locum subditivum esse patet[1]).

Stygis fluvii mentionem faciunt *Aeschylus* (cf. Pers. vs. 656 Στυγία ἀχλύς = tenebrae infernae), *Sophocles* (cf. Oed. Col. vs. 1563 Στύγιος δόμος = Orcus), *Euripides* (cf. *Aristoph.* Ran. vs. 470 sqq., quibus subesse quaedam ex *Euripidis* Theseo petita scholiorum testimonio confirmatur). Cocytum *Aeschylus* commemorat Sept. c. Theb. vs. 678 et Ag. vs. 1105 atque *Euripides* apud *Aristoph.* l. c. et praeterea Alc. vs. 472. Acherontem denique *Aeschylus* intellegi vult, si dicit πρὸς ὠκύπορον πόρθμευμ᾽ ἀχέων (Ag. 1503) et ἀμφὶ ... ἀχερουσίους ὄχθους (ibid. 1106) eundemque apertis verbis appellat Sept. c. Theb. vs. 836. *Sophocles* idem flumen nominat Ant. vss. 811. 816 et Elect. vs. 184; neque alio referendam esse vocem „'Αίδα παγκοίνου λίμνη" (ibid. 138) umbrae Achillis verba documento sunt: ἀκτὰς ἀπαίωνάς τε καὶ μελαμβαθεῖς | λιποῦσα λίμνης ἦλθον, ἄρσενας χοὰς | 'Αχέροντος ὀξυπλῆγας ἠχούσας γόους (frg. 478). Apud *Euripidem* invenitur: ἡ 'Αχεροντία λίμνη (Alc. 457. frg. 860), ὁ 'Αχερόντιος λιμήν = Orcus (Herc. fur. 762), ὁ 'Αχερούσιος πόρος (ibid. 830), ὁ καταιβάτης 'Αχέρων (Bacch. 1350). Quae praeterea commemorantur ab *Aeschylo* Πλούτωνος πόρος (Prom. 802) et ab *Euripide* λίμνη (Alc. 260) vel χθονία λίμνη (ibid. 915) dubium est, quo pertineant.

Tartarum apud *Homerum* non idem esse quod Orcum nec partem sedis inferorum sed Titanum carcerem infra illam situm ex Iovis verbis apparet, quibus Iunonem increpat:

σέθεν δ' ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω
χωομένης, οὐδ' εἴ κε τὰ νείατα πείραθ' ἵκηαι
γαίης καὶ πόντοιο, ἵν' 'Ιαπετός τε Κρόνος τε
ἥμενοι οὔτ' αὐγῆς 'Υπερίονος 'Ηελίοιο
τέρποντ' οὔτ' ἀνέμοισι, βαθὺς δέ τε Τάρταρος ἀμφίς.

---

[1]) Hinc efficitur, ut Ε 397 ἐν Πύλῳ scribendum sit, etsi ἐν πύλῳ Aristarchi nititur auctoritate. Multo minus enim habet dubitationis, Plutonem progressum induci in terram quam degressum ad inferos Herculem.

(Θ 477 sqq.) et deos pugnis ante Troiam factis interesse vetitos si qui male parerent deiecturum se confirmat:

> ἐς Τάρταρον ἠερόεντα,
> τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
> ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός,
> τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

(Θ 13 sqq.); nec minus demonstratur Iunonis voce:

> Κρόνον εὐρύοπα Ζεὺς
> γαίης νέρθε καθεῖσε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.

(Ξ 203 sq.) et Titanum appellatione „ὑποταρτάριοι θεοί“ (Ξ 279). *Aeschylus Homeri* opinionem secutus est; legimus enim:

> Ταρτάρου μελαμβαθὴς
> κευθμὼν καλύπτει τὸν παλαιγενῆ Κρόνον
> αὐτοῖσι συμμάχοισι.

(Prom. 221 sqq.) et:

> Εἰ γάρ μ' ὑπὸ γῆν
> νέρθεν θ' Ἅιδου τοῦ νεκροδέγμονος
> εἰς ἀπέραντον Τάρταρον ἧκεν.

(ibid. 152 sqq.)[1]. Tamen sibi non constat. Nam Furiae, deorum inferorum ministrae ab umbris poenas sceleste factorum repetentes, quibus cum Titanis quicquam esse neque *Homerus* neque tragici auctores sunt, si ab Apolline incolere dicuntur „κακὸν σκότον Τάρταρόν θ' ὑπὸ χθονός“ (Eum. 74), ipsae autem Minervae de genere earum dubitanti respondent:

> Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὑπαὶ κεκλήμεθα.

(Eum. 400), Orcum, non Titanum carcerem intellegendum illo loco Eum. vs. 74 manifestum est. Atque in Orcum conveniunt, quae praeterea de Tartaro vel de Furiarum sede tradit *Aeschylus* (cf. Prom. vs. 1025 κνεφαῖα βάθη Ταρτάρου, ibid. vs. 1046

[1]) cum *Doederleinio* (Homerisches Glossarium, Erlangen 1853. n. 657) ἀπέραντον hoc loco non „infinitum“ sed „inextricabilem“ interpretor, quod magis conveniat in carcerem.

κελαινὸς Τάρταρος, Eum. vs. 370 ἀνήλιος λάμπα, ibid. vs. 379 δυσήλιον κνέφας).

Sophocles quid de Tartaro censuerit, ex duobus locis, quibus eius mentio fit (Mors filia dicitur Terrae et Tartari Oed. Col. vs. 1574 et Polynicem ut Tartarus devoret pater optat ibid. vs. 1390), haud scio an non possit diiudicari. Tamen ob id ipsum, quod Oedipus filio Tartari tenebras imprecatur, veri similius est, non distinxisse Orcum a Tartaro poetam[1]).

Euripidis sententia si non satis aperitur Oedipodis voto:

Ταρτάρου γὰρ ὤφελεν
ἐλθεῖν Κιθαιρὼν εἰς ἄβυσσα χάσματα,
ὅς μ' οὐ διώλεσ'·

(Phoen. 1606 sq.), at certe inde cognoscitur, quod et Orestes timet, ne a Furiis in Tartarum deiciatur (Orest. 255), et Ταρταρείας (cf. frg. 381) esse has deas apparet ex Rabiei verbis:

δεινὰ μυκᾶται δὲ Κῆρας ἀνακαλῶν τὰς Ταρτάρου

(Herc. fur. 862). Quin etiam appellativum ex proprio Tartari nomine factum occurrit apud *Euripidem:* invenitur enim ὑπὸ γῆς τάρταρα (Hippol. 1279)[2]) et τάραγμα ταρτάρειον (Herc. fur. 897).

Nec non cohaeret haec *Homeri* et tragicorum de Tartaro opinionum discrepantia cum ea, quam inter universas eorum de inferis persuasiones supra explicavimus. Namque vita in Orco deficiente Titanum viventium habitatio a mortuorum conditorio non potuit non separari, potuit confundi cum umbrarum domicilio lucis quadam specie ad inferos importata.

---

[1]) Aliter censet *Wuestius.* Dicit enim l. pag. 52 adn. 1 c. pag. 8: „Er kennt eben den Tartaros, wie Homer und Hesiod, als einen von der Unterwelt ganz getrennten Raum, in dem die gestürzten Titanen gefangen gehalten werden, und um seine Verwünschung schrecklicher zu machen, ruft er statt des Erdenschosses überhaupt speciell dieses fürchterliche Dunkel an, Polynices zu verschlingen." Verum ut omittam interrogare, haec unde petiverit *Wuestius,* nonne sat horribilis est Orci imprecatio a patre filio instituta?

[2]) *Warmboldius* l. c. pag. 20 hunc locum et Rabiei verba Herc. fur. vs. 862 demonstrare dicit, apud Euripidem Tartarum esse profundissimam et maxime horrendam Orci regionem. Sed ea persuasio quomodo inde repeti possit prorsus ignoro.

Atque indidem repetendus est rarissimus tragicorum usus vocabuli „ἔρεβος“. Quod quid et apud *Homerum* et in universum significet, valde miror non perspectum esse a quibusdam viris doctis, qui de loco vel spatio regionis infernae cogitaverunt (cf. Thesaur. ling. Graec. ed. *Passow,* cur. *Rost:* „ein finsterer Ort unter der Erde, zwischen der Erdoberfläche und dem noch tiefer gelegenen Hades, von dem das Erebos Il. 8. 368 ausdrücklich unterschieden wird.“ Accessit *Pape,* apud quem legitur: „das Dunkel der Unterwelt, der Erebos, nach homerischer Vorstellung der finstere Ort zwischen der Erdoberfläche und dem tiefer gelegenen Hades“) aut Orcum ipsum intellexerunt (cf. Ind. vocab. Homeric. comp. *Seiler,* ed. 8. cur. *Capelle*: „finsterer Erdengrund als Totenbehausung, das finstere Todesthal“. *Retzlaffii* institut. Homeric. ². I. pag. 107: „das finstere Todesthal“. *Doederleinii* glossar. Homeric. n. 324: „Ἔρεβος ist das finstere Totenthal, die Finsternis im Totenreich, unter der Erde, mit einem Eingang und Vorhof im Westen.“). Tamen iam *Nitzschius*[1]) rectissime hoc vocabulum ita interpretatus est: „Erebos ist wie bei Homer und Hesiod Th. 669 so auch bei Spätern nie etwas anderes als die unterirdische Finsternis, oder an sich so zu sagen die absolute Finsternis der Orte, wo alle Möglichkeit des Lichtes aufhört“, atque haud scio an qui eum secuti sunt interpretatores in errorem non incidissent, nisi in eodem libro pag. 171 legeretur: „Für entschieden muss gelten, dass Ἔρεβος der Eigenname oder die eigentümliche Benennung des finstern Totenthales, der Finsternis im Totenreiche ist.“ Verum nunquam ἔρεβος significat nec locum nec spatium regionis infernae aut Orcum ipsum, nihil aliud significat nisi inferas tenebras[2]); quae quem explent locum, is improprie

---

[1]) l. c. vol. III. pag. 380.

[2]) *Curtius* (Grundz. d. griech. Etymol. ⁴. pag. 472 sq.) ἔρεβος repetit a rad. skt. „tenebras“ vel „noctem“ significante, non prorsus interdicta derivatione a verbo nativo quod intellegitur „camerare“ vel „tegere“. Apud *Goebelium* (Lexilog. z. Homer) exstat l. c. I. pag. 372: „Darnach werden wir ἔ-ρεβ-ος als urspr. Höhle, Hölle bzw. als Einbiegung in die Tiefe fassen

vocari potest ἔρεβος, tam valida tamen vi denominationis, ut initiali minuscula vocabulum scribendum sit. Inveniuntur igitur apud *Homerum* ἐξ ἐρέβευς Θ 368[1], ἐξ ἐρέβεσφιν I 572, ὑπὲξ ἐρέβευς λ 37 — quae reddi possunt „ex Orci tenebris"; εἰς ἔρεβος Π 327 λ 564, quod est „in Orci tenebras"; denique πρὸς ζόφον εἰς ἔρεβος τετραμμένον μ 81, ubi interpretor „ad occidentem in Orci tenebras conversum"[2]. Tragici si perraro hac voce utuntur (*Aeschylus* nunquam; *Sophocles* praebet Oed. Col. vs. 1390 τὸ Ταρτάρου στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος, Ai. vs. 397 ἔρεβος ὦ φαεννότατον = „Orci tenebrae mihi lucidissimae", Ant. vs. 589 ἔρεβος ὕφαλον = „infimi maris tenebrae"; ab *Euripide* peto Orest. vs. 172 ἐρεβόθεν = „e tenebris inferorum" et Hel. vs. 519 μελαμφαὲς . . . δι' ἔρεβος = „per nigras . . . regionis infernae tenebras"), non tam caligine liberant mortuorum sedem, quam discernere dedidicerunt inter tenebras superas et inferas: quae res quamvis exigua per se tamen non omnino est neglegenda in opinionibus *Homeri* et tragicorum de inferis perpendendis; ille inter „hic" et „illic" distinguendi studiosissimus, hi non ita multum curiosi in ea differentia.

Elysium, cuius apud *Homerum* mentio fit δ 563, apud tragicos nunquam, ad inferos non referendum esse supra dixi (cf. pag. 32 adnot. 1).

Orci naturam quoniam aeque ac mortuorum in eo condicionem pertractavimus, sequitur, ut ceteros eius incolas in quaestionem vocemus. De quibus cum sic possit disseri, ut quam quisque administret provinciam quaeque expleat munera perspiciatur, satis habeo, quo magis teneam rem propositam,

---

dürfen"; ibid. II. pag. 567: „Den Stamm ἐρεβ «bedecken» haben wir in ἔρεβ-ος Verhüllung, Bedeckung".

[1]) de loco addubitavi pag. 84 sq.

[2]) υ 356, ubi legitur ἔρεβόσδε ὑπὸ ζόφον, cum *Kammero* reicio, qui maximam partem libri υ imprimisque Theoclymeni vaticinationem υ 350 sqq. posteriori aetati tribuit. Cf. l. c. pag. 570 sqq. 671.

cum haec duo demonstrare, tragicos et plus versari in illis proferendis et prolatos animis nostris manifestius proponere quam *Homerum*, tum ita instituere eam demonstrationem, ut cognoscatur, deos inferos non modo saepius commemorari praesentioresque sub aspectum ab his quam ab illo subici, verum etiam mitiores interdum cogitari et minore accipi formidine, id quod praeter invocationes et sacrificia, quibus afficiuntur, maxime appareat e quorundam epithetorum usu. Quae quo facilius oculis teneantur de singulis Orci habitatoribus non dissertatione continua sed prompta agere compositione animum induxi.

Atque deos inferos cum tragici communi quadam appellatione complectantur (cf. οἱ ἔνεροι *Eurip.* Alc. vs. 30 — οἱ κάτω θεοί *Sophocl.* Elect. vs. 292, — οἱ κάτωθεν θεοί *Sophocl.* Ant. vs. 1070 — οἱ νέρτεροι θεοί *Aeschyl.* Pers. vs. 614, *Sophocl.* Ant. vss. 601 et 749, *Eurip.* Orest. vs. 613. Alc. vs. 1148 — οἱ κατὰ χθονὸς θεοί *Aeschyl.* Pers. vs. 674, *Eurip.* Alc. vs. 75 — οἱ ὑπὸ γαῖαν θεοί *Eurip.* Hecub. vs. 145 — οἱ χθόνιοι θεοί *Eurip.* frg. 860 — οἱ γῆς ἔνερθε δαίμονες *Aeschyl.* Choeph. vs. 118 — χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί *Aeschyl.* Pers. vs. 620 — οἱ κάτω σθένοντες *Eurip.* Hecub. vs. 49), apud *Homerum* qui inveniuntur οἱ ἔνερθε θεοί (Ξ 274) vel οἵ περ ἐνέρτεροί εἰσι θεοί (O 225) Titanes sunt Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες, non Orci domini. Quorum in numero habentur Pluton, Proserpina, Furiae, Mercurius, Mors.

I.

De Plutone.

A. nomina et appellationes:

1. *Homerus* Ἀίδης, cf. E 395 I 158 O 188 O 191 μ 17 φ 322. *Aeschylus* Sept. c. Theb. 299. 849. Suppl. 760. *Sophocles* Oed. Col. 1690. Trach. 1085. *Euripides* Alc. 452. Elect. 143. Hecub. 206. 1011.

2. *Homerus* Ἀιδωνεύς E 190 Υ 61. *Aeschylus* Pers. 641. *Sophocles* Oed. Col. 1560. *Euripides* n.

3. *Homerus* (Ἄϊς) genet. Ἄϊδος, cf. A 3 E 654 H 330 N 415 X 362 γ 410 ζ 11. *Aeschylus* Prom. 433. *Sophocles* Oed. Col. 1221. *Euripides* n.

4. *Homerus* n. *Aeschylus* ῞Αιδης, cf. Ag. 1059. 1475. Eum. 274. Prom. 238. Suppl. 218. 404. frg. 235. *Sophocles* Ant. 519. 542. 575. 777. 810. Ai. 1035. Elect. 542. 949. Trach. 501. 1040. 1098. *Euripides* Alc. 231. 237. 270. 278. 756. Hecub. 2. Hel. 968. Herc. fur. 482. 606. 1016. Hippol. 1044. Iphig. Aulid. 457. Iphig. Tauric. 178. Orest. 1109. Phoen. 813. 1578. Suppl. 76. 777. frg. 336.
5. *Homerus* n. *Aeschylus* Πλούτων Prom. 802. *Sophocles* Ant. 1200. *Euripides* Alc. 371. Herc. fur. 800. 1091.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* Ζαγρεύς frg. 4 [1]). *Sophocles* n. *Euripides* n.
7. *Homerus* Ζεὺς καταχθόνιος I 457. *Aeschylus* ὁ κατὰ χθονὸς Ζεύς Ag. 1331. ὁ γαῖος Ζεὺς τῶν κεχμηκότων Suppl. 144. *Sophocles* Ζεὺς χθόνιος Oed. Col. 1606 [2]). *Euripides* ὁ κάτωθεν θεός Alc. 438. ὁ χθόνιος θεός Phoen. 1326. ὁ χθόνιος ῞Αιδης Alc. 237. ὁ κατὰ χθονὸς ῞Αιδας Phoen. 813. ὁ νέρτερος ῞Αιδης Hel. 968.
8. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ὦ Διὸς αὐθαίμων Trach. 1041. *Euripides* n.
9. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἔννυχος ῞Αιδας Trach. 501. ἕσπερος θεός Oed. R. 178 [3]). *Euripides* n.
10. *Homerus* ἄναξ ἐνέρων Υ 61. ἐνέροισιν ἀνάσσων Ο 188. *Aeschylus* βασιλεὺς ἐνέρων Pers. 621. cf. πρόπαρ θανούσας δ' Ἀίδας ἀνάσσοι Suppl. 760. *Sophocles* ὦναξ Ἀίδη Trach. 1085. ὁ παρὰ τὸν Ἀχέροντα θεὸς ἀνάσσων Elect. 184. ἐννυχίων ἄναξ Oed. Col. 1559. *Euripides* ἄναξ Alc. 864.

---

[1]) Ζαγρεύς filius Plutonis frg. 224. cf. God. *Hermanni* Aeschyl. trag. I. pag. 331.

[2]) Dubitari potest, utrum Pluton an Iuppiter intellegendus sit, praesertim cum vs. 1460 inveniatur: Διὸς πτερωτὸς ἥδε μ' αὐτίκ' ἄξεται βροντὴ πρὸς ῞Αιδην. *Luebkerus* (Sophokleische Theologie u. Ethik. Kiel 1851) si l. c. I. pag. 30 Iovem interpretatur ex Hom. I 457 et Hes. op. 463 deum hoc loco nominatum, de Homero errat, quia καταχθόνιος non χθόνιος legitur atque haud dubie ad Plutonem spectatur; de Hesiodi loco cf. *Lehrs,* Popul. Aufs. ². pag. 298 sq.

[3]) cf. pag. 82 adn. 2.

B. species et habitus.

Homerus n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* ὁ μελαγχαίτας θεός Alc. 452. ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγὲς βλέπων πτερωτὸς Ἅιδας Alc. 270.

C. natura et indoles.

1. *Homerus* βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστος ἁπάντων I 159. *Aeschylus* Ἀίδα . . . ἐχθρὸν παιᾶν' ἐπιμέλπειν Sept. c. Theb. 849. *Sophocles* n. *Euripides* n.
2. *Homerus* ἀμείλιχος I 158. ἀδάμαστος ibid. στυγερός Θ 368 [1]). *Aeschylus* n. *Sophocles* φόνιος Oed. Col. 1690. δημιουργὸς ἄγριος Ai. 1035. Ἄϊδος μοῖρ' ἀνυμέναιος ἄλυρος ἄχορος Oed. Col. 1221. *Euripides* θανάσιμος Hecub. 1011. ἄσπονδος Alc. 438.
3. *Homerus* πελώριος E 395. κρατερός N 415. *Aeschylus* μέγας Eum. 274. *Sophocles* n. *Euripides* n.
4. *Homerus* κλυτόπωλος E 654 Λ 445 Π 625 [2]). *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.
5. *Homerus* πυλάρτης Θ 367 [3]) N 415. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* ἀναπομπός Pers. 641. *Sophocles* n. *Euripides* n.
7. *Homerus* n. *Aeschylus* ἀγησίλαος frg. 398. πολυξενώτατος Suppl. 144. cf. *Sophocles* Oed. Col. 1570 ἐν πύλαισι ταῖσι πολυξένοις [4]). *Euripides* n.

---

[1]) de loco addubitavi pag. 84 sq.

[2]) *Preller,* Griech. Mythol. [3]. I. pag. 660: „Obwohl die gewöhnlichere Vorstellung ihn auf schnellem Wagen mit dunkeln Rossen einherfahrend und seine Beute entführend dachte, in welchem Sinne der Raub der Persephone gedichtet ist, daher Aidoneus in der Ilias wiederholt κλυτόπωλος . . . heisst.“ Eiusmodi mortuorum abreptorum cogitationis cum apud Homerum nulla exstent vestigia, quippe qui Plutonem praeter E 397 nunquam ex Orco commemoret egressum ac ne in deorum generalia quidem concilia adhibeat dominum inferorum (cf. Υ 4 sqq.), illud epitheton ad raptum Proserpinae videtur revocandum.

[3]) de loco addubitavi pag. 84 sq.

[4]) ita legendum puto cum *Schneidewinio, Nauckio,* aliis pro lib. ἐν πύλαισι φασὶ πολυξέστοις, quod *Dindorfius* et praebet et defendere conatur; sed nequiquam.

D. varia.

1. *Homerus* αὐτὰρ Ἀθήνη | δῦν' Ἄϊδος κυνέην, μή μιν ἴδοι ὄβριμος Ἄρης. E 845. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.
2. *Homerus* n. *Aeschylus* μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν | ἔνερθε χθονός. Eum. 274. *Sophocles* n. *Euripides* n.

E. animadvertenda.

1. καὶ πεπτωκότι | τρίτην ἐπενδίδωμι, τοῦ κατὰ χθονὸς | Διὸς νεκρῶν σωτῆρος εὐκταίαν χάριν. *Aeschylus* Ag. 1330 sqq., sed quia Ζεὺς σωτήρ tertia honoratur libatione.
2. ὦ γλυκὺς Ἅιδας *Sophocles* Trach. 1040, sed Hercules dicit, cum intolerabilibus crucietur doloribus.
3. Plutonis nomen (initiali minuscula scribendum) pro morte:

   Homerus n.

   Aeschylus ᾅδην πόντιον πεφευγότες Ag. 638.

   Sophocles ὅταν πέλας ἤδη τὸν ᾅδην εἰσορῶσι τοῦ βίου. Ant. 581[1]).

   Euripides ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυσσεβεῖ. Hippol. 1044. ᾅδην τὸν παραυτίκ' ἐκφυγεῖν Alc. 13. μήποτε . . . ὤφελ' . . . ἀμφιβαλέσθαι ἀίδαν ἐπὶ σοί Androm. 1165.

II.

De Proserpina.

A. nomina et appellationes.

1. *Homerus* Περσεφόνεια I 457 I 569 κ 491 κ 509 κ 564 λ 635[2]). *Aeschylus* n. *Sophocles* Elect. 110. *Euripides* Hecub. 134. Suppl. 1024.
2. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* Περσεφόνα Ion. 1445.
3. *Homerus* n. *Aeschylus* Περσέφασσα Choeph. 487. *Sophocles* Ant. 894. *Euripides* Orest. 956.

---

[1]) in edd. Ἅιδην scriptum et ad deum relatum inveni.

[2]) λ 386, quem *Kammerus* recepit versum (cf. l. c. pag. 539), reiciendus est, quia indice mulierum remoto offendunt verba „γυναικῶν θηλυτεράων“.

4. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* Φερσέφασσα Hel. 175.
5. *Homerus* n. *Aeschylus* Δαῖρα frg. 271. *Sophocles* n. *Euripides* n.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* Κόρη Alc. 864. Herc. fur. 607. Hel. 1307. frg. 64.
7. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* κόρη Δήμητρος Alc. 369. Heracl. 408. 601. Herc. fur. 1091.
8. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* Ἅιδου νύμφη Alc. 758.
9. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἡ νερτέρα θεός Oed. Col. 1548. *Euripides* ἡ κατὰ χθονὸς νερτέρων θεά Orest. 956.

B. species et habitus.

— — — — — —

C. natura et indoles.

1. *Homerus* ἐπαινή I 457 I 569 [1]) κ 491 κ 564. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* ἄρρητος Hel. 1307. frg. 64.
2. *Homerus* ἀγαυή λ 635 [2]). *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* καλλίπαις Orest. 956.
3. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἀφανής Oed. Col. 1556. *Euripides* n.

D. varia.

1. Proserpina una cum Plutone: *Homerus* I 457 I 569 κ 491 κ 564. *Aeschylus* n. *Sophocles* Oed. Col. 1548. 1556. Elect. 110. *Euripides* Alc. 369. 864. Herc. fur. 607. 1091.

   Proserpina sola: *Homerus* κ 509. λ 635 [3]). *Aeschylus*

---

1) *Preller*, Griech. Mythol. [3]. I. pag. 657: „Persephone .... Herrin und Führerin der schrecklichen Erinyen (Il. 9, 569 ff.).“ Neque vero quicquam hoc loco exstat de ea re neque de Proserpina Furiarum duce Homerus aut tragici quicquam tradunt neque Proserpina accurate appellatur earum domina, quoniam apud inferos rerum summa est Plutoni.

2) λ 386 invenitur ἁγνὴ Περσεφόνεια. Sed cf. pag. 93 adn. 2.

3) Os Gorgonis Homerum in Orcum transtulisse ex hoc loco effecerunt *Spielmannus*, qui dicit l. pag. 24 adn. 2 c. pag. 33: „Es versteht sich von selbst,

Choeph. 487. frg. 271. *Sophocles* Ant. 894. *Euripides* Alc. 758. Hecub. 134. Hel. 175. 1307. Heracl. 408. 601. Ion. 1445. Orest. 956. Suppl. 1024. frg. 64.

2. raptus Proserpinae commemoratur non nominato raptore apud *Euripidem* Hel. 1301 sqq.

III.
De Furiis.

A. nomina et appellationes.

1. *Homerus* 'Ερινύες I 454 I 571 O 204 T 87 T 259 T 412 β 135 ρ 475 υ 78. *Aeschylus* Ag. 59. 437. 616. 712. 943. 1063. 1135. 1378. 1526. Choeph. 279. 398. 574. 639. Eum. 329. 338. 495. 919. Pers. 516. Sept. c. Theb. 71. 560. 688. 713. 777. 846. 864. 953. 967. 983. *Sophocles* Oed. Col. 1299. 1434. Ant. 603. 1075. Ai. 837. 843. 1034. 1390. Elect. 112. 276. 1080. Trach. 809. 895. 1051. frg. 516. *Euripides* Herc. fur. 1063. Iphig. Taur. 79. 916. Med. 1378. Orest. 228. 254. 575. 1381. Phoen. 255. 1312. 1507. Suppl. 838. Troad. 459.
2. *Homerus* n. *Aeschylus* Κῆρες Sept. c. Theb. 983. *Sophocles* n. *Euripides* Elect. 1248. Herc. fur. 862 (Ταρτάρου).
3. *Homerus* n. *Aeschylus* 'Αραί Eum. 400. Sept. c. Theb. 71. *Sophocles* n. *Euripides* n.
4. *Homerus* n. *Aeschylus* n.[1]). *Sophocles* Εὐμενίδες Oed. Col. 42. 486. *Euripides* Orest. 38. 313. 828.

---

dass in der Unterwelt die Gorgo nicht fehlen darf; denn die «Schreckliche» hat doch nur im Orte des Schreckens ihren eigentlichen Wohnsitz λ 634", et *Prellerus*, apud quem legitur (Griech. Mythol. [3]. I. pag. 657): „Persephone . . . die Inhaberin des versteinernden Medusenhauptes (Od. 11,635)." Verum illud „Γοργείην κεφαλὴν" (λ 634) non ad verbum sed de una aliqua formidine dictum esse iam veteres scholiastae cognoverunt. Cf. *Nitzsch* l. c. III. pag. 357. In Homeri enim Orcum nec quomodo nec per quem nec quorsum pervenerit caput Medusae potest intellegi.

[1]) *Weilii* coniecturam probandam puto, qui et Eum. versibus, quos excidisse post vs. 982 apertum est, nomen Eumenidum pronuntiatum fuisse suspicatur et vs. 998 legendum proponit: σπονδᾷ δ' ἐστὲ πανευμενίδες θεῶν, cf. *Weilii* adnn. ad. Eum. vss. 980—982 et 998.

5. *Homerus* n. *Aeschylus* θεαί Eum. 118 (κατὰ χθονός). *Sophocles* Oed. Col. 40. 90. 1568 (χθόνιαι). *Euripides* Androm. 958. Elect. 1248. 1266. Iphig. Taur. 919 (ἀνώνυμοι). Orest. 251. 310.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* μεγάλαι δαίμονες Eum. 897. *Sophocles* n. *Euripides* n.
7. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* ἐνέρων ἱερίαι Orest. 251.
8. *Homerus* n. *Aeschylus* κόραι Eum. 70. 758. 786. *Sophocles* Oed. Col. 40. *Euripides* Orest. 246. 400.
9. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἀεὶ παρθένοι Ai. 835. *Euripides* n.
10. *Homerus* n. *Aeschylus* παλαιαὶ παῖδες Eum. 71. *Sophocles* n. *Euripides* n.
11. *Homerus* n. *Aeschylus* πολυκρατεῖς ἀραὶ φθινομένων Choeph. 402. *Sophocles* n. *Euripides* n.
12. *Homerus* n. *Aeschylus* δεινὴ δράκαινα Eum. 131. *Sophocles* n. *Euripides* Ἅιδου δράκαινα Iphig. Taur. 278.
13. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* θεῶν ποδώκεις βλάβαι Ant. 1104. *Euripides* n.
14. *Homerus* n. *Aeschylus* κύνες Choeph. 1052 (ἔγκοται). *Sophocles* n. *Euripides* Elect. 1336.
15. *Homerus* n. *Aeschylus* ὦ παντομισῆ κνώδαλα, στύγη θεῶν Eum. 615. *Sophocles* n. *Euripides* n.

B. species et habitus.

1. *Homerus* n. *Aeschylus* θαυμαστὸς λόχος γυναικῶν Eum. 48. *Sophocles* n. *Euripides* n.
2. *Homerus* n. *Aeschylus* Γοργόνων δίκην Choeph. 1046. Γοργόνες Eum. 50. *Sophocles* n. *Euripides* n.
3. *Homerus* n. *Aeschylus* ῥέγκουσι δ' οὐ πλατοῖσι φυσιάμασιν Eum. 55. *Sophocles* n. *Euripides* πῦρ πνέουσα καὶ φόνον Iphig. Taur. 280.
4. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* δρακοντώδεις Orest. 246.
5. *Homerus* n. *Aeschylus* πεπλεκτανημέναι πυκνοῖς δράκουσιν Choeph.

1048. *Sophocles* n. *Euripides* δειναῖς ἐχίδναις ἐστομωμένη Iphig. Taur. 279.

6. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* χειροδράκοντες Elect. 1339.

7. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* πολύχειρ Elect. 488. *Euripides* n.

8. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* πολύπους Elect. 488. χαλκόπους Elect. 491. τανύπους Ai. 837. *Euripides* n.

9. a. *Homerus* n. *Aeschylus* ἄπτεροι Eum. 53. 251. *Sophocles* n. *Euripides* n.

9. b. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* πτεροῖς Iphig. Taur. 281. πτεροφόροι Orest. 309.

10. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* νυκτὶ προσφερεῖς Orest. 400.

11. a. *Homerus* n. *Aeschylus* μέλαινα Eum. 54. Sept. c. Theb. 954. 966. *Sophocles* n. *Euripides* μελαγχρῶτες Orest. 313.

11. b. *Homerus* n. *Aeschylus* κελαιναί Ag. 436. *Sophocles* n. *Euripides* χρῶτα κελαιναί Elect. 1339.

11. c. *Homerus* n. *Aeschylus* φαιοχίτωνες Choeph. 1047. μελανείμονες Eum. 360. μελάναιγις Sept. c. Theb. 687. *Sophocles* n. *Euripides* n.

12. *Homerus* n. *Aeschylus* ἐκ δ' ὀμμάτων λείβουσι δυσφιλῆ λίβα Eum. 56. κἀξ ὀμμάτων στάζουσιν αἷμα δυσφιλές Choeph. 1056. *Sophocles* δεινῶπες Oed. Col. 84. *Euripides* γοργῶπες Orest. 251. κυνώπιδες Elect. 1248. Orest. 250. αἱματωποί Androm. 958. Orest. 246.

C. natura et indoles.

1. *Homerus* n. *Aeschylus* βδελύκτροποι Eum. 54. κατάπτυστοι Eum. 70. *Sophocles* n. *Euripides* n.

2. *Homerus* στυγεραί I 454 β 135 υ 78[1]). *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.

3. *Homerus* n. *Aeschylus* δειναί Eum. 131. *Sophocles* n. *Euripides* Orest. 251. Elect. 1248. 1266.

---

[1]) δασπλῆτις ο 234, quod quid significet alii aliter explicaverunt, non recepi, quia cum *Kammero* (l. c. pag. 563 sqq.) locum ο 221—286 interpolatum existimo.

4. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἔμφοβοι Oed. Col. 39. *Euripides* n.
5. *Homerus* n. *Aeschylus* μάργοι Eum. 69. *Sophocles* n. *Euripides* n.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* φθερσιγενεῖς Sept. c. Theb. 982. *Sophocles* n. *Euripides* n.
7. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* λωβητῆρες Ant. 1074. *Euripides* n.
8. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* πάνθ' ὁρῶσαι Oed. Col. 42. ἀεὶ ὁρῶσαι πάντα τὰν βροτοῖς πάθη Ai. 836. *Euripides* n.
9. *Homerus* n. *Aeschylus* μνήμονες Eum. 366 (κακῶν). Pers. 516. *Sophocles* Ai. 1390. *Euripides* n.
10. *Homerus* n. *Aeschylus* κλυτά Choeph. 639. *Sophocles* n. *Euripides* n.
11. *Homerus* n. *Aeschylus* βυσσόφρων Choeph. 639. *Sophocles* n. *Euripides* n.
12. *Homerus* n. *Aeschylus* καμψίπους Sept. c. Theb. 777. *Sophocles* ταχεῖαι Ai. 843. ποδώκεις Ant. 1104. *Euripides* δρομάδες Orest. 309.
13. *Homerus* ἠεροφοῖτις I 571. T 87. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.
14. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ποίνιμοι Ai. 843. *Euripides* n.
15. *Homerus* n. *Aeschylus* ὑστερόποινος Ag. 58. *Sophocles* ὑστεροφθόροι Ant. 1074. *Euripides* n.
16. *Homerus* n. *Aeschylus* πολύστονος Suppl. 838. *Sophocles* n. *Euripides* δεινῶν ὀδυνῶν καρπὸν ἔχουσαι Elect. 1340.
17. *Homerus* ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα I 572. *Aeschylus* δυσπαρήγοροι Eum. 368. δυσάρεστοι Eum. 896. *Sophocles* n. *Euripides* n.
18. *Homerus* n. *Aeschylus* μεγάλαυχοι Sept. c. Theb. 982. *Sophocles* n. *Euripides* n.
19. *Homerus* n. *Aeschylus* μεγασθενής Sept. c. Theb. 71. 954. 967. *Sophocles* n. *Euripides* n.
20. *Homerus* n. *Aeschylus* σεμναί Eum. 367. 995. *Sophocles* Oed. Col. 90. 458. Ai. 837. Elect. 112. *Euripides* Orest. 402.
21. *Homerus* n. *Aeschylus* πότνιαι Eum. 916. Sept. c. Theb.

864. 953. 966. *Sophocles* Oed. Col. 84. *Euripides* ποτνιάδες Orest. 310.

22. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* γλυκεῖαι Oed. Col. 106. *Euripides* n.

D. varia.

1. de genere.
   Homerus n. *Aeschylus* Νυκτὸς αἰανῆς τέκνα Eum. 399. cf. 322. 720. 758. 786. 811. 836. 989. *Sophocles* Γῆς τε καὶ Σκότου κόραι Oed. Col. 40. παῖδες ἀρχαίου Σκότου Oed. Col. 106. σεμναὶ θεῶν παῖδες Elect. 112. *Euripides* n.
2. de numero.
   Praeterquam quod *Euripides* τρεῖς esse dicit Orest. 400. Troad. 459 et apud *Homerum* et apud tragicos modo una modo plures inveniuntur.
3. de persequendi ratione.
   Eos, a quibus poenas repetiturae sunt, sicut venatores feras agitant. *Homerus* n. *Aeschylus* Eum. 133 sqq. 150 sq. 231. 247 sqq. *Sophocles* n. *Euripides* Iphig. Taur. 79 sq. 916 sq. Orest 828.

IV.
De Mercurio.

Mercurius inferorum deus ab *Homero* ignoratur; alteram enim necyiam, ubi umbras in Orcum prosequitur, subditivam esse constat.

Aliter apud *Aeschylum*. Deus appellatur Ἑρμῆς χθόνιος Choeph. vss. 1. 117. 715, νύχιος ibid. 715, κῆρυξ μέγιστε τῶν ἄνω τε καὶ κάτω ibid. 116. Officium eius inde apparet, quod chorus Choeph. vs. 615 pro „moritur“ dicit „κιγχάνει δέ νιν Ἑρμῆς“, et ex frg. 267 Ἑρμᾶν μὲν πρόγονον τίομεν γένος οἱ περὶ λίμναν. Non modo autem deduci ad inferos a Mercurio defunctos, sed etiam ex Orco non sine eius permissu in lucem emitti testificatur Persarum senum chorus, qui precibus invocans φθιμένων πομποὺς una cum Terra et rege inferno Mercurium nominat (Pers. 617 sqq.). Quin etiam in ultione Agamemnonis necis exsequenda a deo

auxilium implorat Electra (Choeph. 116), Orestes (ibid. 1 sq.), chorus (ibid. 715 sqq.).

Sophocles deum et ipse cognitum habet. Electra Mercurium χθόνιον una cum ceteris Orci numinibus precatur, ut poenas expetant a patris percussoribus (Elect. 111); Aias in gladium incumbens πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον orat, ut se bene consopiat in aeternum (Ai. 832); Oedipus moribundus dicit: τῇδε ... μ' ἄγει | Ἑρμῆς ὁ πομπὸς ἥ τε νερτέρα θεός (Oed. Col. 1548).

Ab *Euripide* Mercurius infernus semel commemoratur Alc. vs. 755, ubi chorus reginam mortuam voto prosequitur: χαῖρε· πρόφρων σε χθόνιός θ' Ἑρμῆς | Ἅιδης τε δέχοιτ'. Haec dei remotio quomodo compensetur, infra explicabitur.

V.
De Thanato.

Homerus Θάνατον deum non ignorat. Eum fratrem esse Somni apparet ex Ξ 231 Π 454. 672. 682. Sed unum eius officium, cuius mentio fit Π 454. 672. 682, non versatur in rebus infernis: Iovis enim filium Sarpedonem a Patroclo interfectum in Lyciam patriam reportare una cum Somno deo iubetur. Quod ob munus πομπός vocatur Π 671, non ut Mercurium modo diximus propter mortuorum in Orcum deductionem: *Homerus* de Thanati cum Orco coniunctione omnino nihil tradit.

Aeschylus quid de deo censuerit parum patet, cum duobus tantum fragmentis commemoretur, quorum alterum (frg. 250) Θάνατον Παιᾶνα solum esse insanabilium malorum medicum docet, alterum (frg. 156) ad eius invidiam et inexorabilitatem pertinet.

Apud *Sophoclem* a Philocteta (Phil. 797 sq.) et ab Aiace (Ai. 854) Thanatus invitatur, ut veniat. In Orco habitari Θάνατον inde cogi licet, quod et Aiax se ibi eum inventurum et allocuturum esse confirmat (Ai. 854) et ut Oedipodi de vita migranti Plutonis canem Thanatus removeat chorus precatur Oed. Col. vs. 1574 sqq.[1]).

---

[1]) Sunt qui locum ad ipsum Plutonis canem revocent, in his *Ellendtius*

In *Euripidis* fabulis de deo exstant haec. Apollo eum inimicum hominibus, dis odiosum esse narrat (Alc. 62). Nihilo setius a moribundis invocatur (cf. Hippol. vs. 1364 καί μοι Θάνατος Παιὰν ἔλθοι). In tumulis mortuorum ad sanguinem inferiarum hauriendam paulisper moratus (Alc. 857) Θάνατος prosequitur umbras εἰς Ἅιδου δόμους, quare appellatur ἱερεὺς θανόντων (Alc. 25), traditque Plutoni (Alc. 884). Praeterea ab Hercule dicitur et ἄναξ μελάμπεπλος νεκρῶν (Alc. 855) et δαιμόνων ὁ κοίρανος (Alc. 1143).

Praeter deos, de quibus modo egimus[1]), noti sedis inferorum incolae portitor Orci et Plutonis canis sunt. Quos sequitur ut tractemus.

De Charonte.

Ab *Homero* ignorari portitorem Orci nec minus a *Sophocle* inter omnes constat.

De *Aeschylo* dubitatur, sed nulla iusta causa, cum aliter vel intellegendi sint vel perfacile possint intellegi duo illi loci, qui ad Charontem spectare putantur. Quorum alter exstat Sept. c. Theb. vs. 834 sqq.:

Ἀλλὰ γόων, ὦ φίλαι, κατ' οὖρον
ἐρέσσετ' ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν
πίτυλον, ὃς αἰὲν δι' Ἀχέροντ' ἀμείβεται

(Lexic. Sophocl. ed. alt. cur. Genthe. s. voc. „Τάρταρος"). Sed Thanatum intellegendum esse et epitheton „αἰένυπνος" et parentum nomina (ὦ Γᾶς παῖ καὶ Ταρτάρου vs. 1574) demonstrant, cum canis Orci natus esse tradatur ex Echidna immani (Trach. 1099).

[1]) *Warmboldius* l. c. pag. 20 inter inferos esse dicit Rabiem, Urani et Noctis filiam, documento usus Herc. fur. vs. 830. Sed lectionem exhibet, quam unde petiverit nequiquam studui exquirere: πορεύσασ' δ' Ἀχερούσιον πόρον. Sic legi non posse aeque patet atque verba finita γνῷ et μάθῃ de Hercule intellegenda. Libri praebent:

ὡς ἂν πορεύσας δι' Ἀχερούσιον πόρον
τὸν καλλίπαιδα στέφανον αὐθέντῃ φόνῳ
γνῷ μὲν τὸν Ἥρας οἷός ἐστ' αὐτῷ χόλος
μάθῃ δὲ τὸν ἐμόν.

Nihil igitur de Rabiei domicilio his versibus continetur.

τὰν μελανόκροκον ἀγάστονον θεωρίδα,
τὰν ἀστιβῆ ’πόλλωνι, τὰν ἀνάλιον,
πάνδοκον εἰς ἀφανῆ τε χέρσον.

Ac primum quidem quaerendum est, quid sit vs. 837 θεωρίς. Ceteris de Charontis navi cogitantibus *Godofr. Hermannus Hesychii* glossa usus θεωρίδα interpretatus est viam ad inferos ducentem (cf. Aeschyl. trag. ed. alt. vol. II. pag. 343 sq.), ad quam unam conveniunt epitheta ἀστιβῆ ’πόλλωνι et ἀνάλιον, non inconveniens est μελάγκροκον (quod *Weilio* transponenti in μελανόκροκον mutare propter metrum placuit), si ad umbras in via incedentes refertur, solum disconvenit vs. 837 librorum ναύστολον ab *Hermanno* quoque receptum. Sed in permagna scripturae huius loci corruptione non est illicitum in dubium vocare lectionem ναύστολον: quo concesso *Weilii* coniectura ἀγάστονον valde probanda eaque lectione recepta nec Charontis navis neque ulla navigationis cogitatio sententia loci continetur.

Non aeque facile portitoris inferni opera caretur, si Clytaemnestra dicit, Iphigeniam precibus adituram esse patrem πρὸς ὠκύπορον πόρθμευμ’ ἀχέων (Ag. 1502 sq.). Tamen ut transvectio quaedam necessaria est, ubi flumina inveniuntur, ita umbris in transvectione non est opus nec navi nec portitore, nisi quis mente utitur usque adeo ieiuna, ut non possit concoquere poetarum condimenta. Quid? quod ne *Pindarus* quidem, a quo permagna exornari licentia poetica Orcum supra (pag. 29) dictum est, cognitum habet Charontem? Praeterea autem ne obliviscamur, a Mercurio infero mortuos in sedem Plutonis prosequi apud *Aeschylum:* nonne igitur supervacaneum tribuendum erat officium Charonti?

Atque hoc quidem argumentum *Euripidis* exemplo confirmatur. Is enim Mercurium inferorum deum prope ignorans et ad Thanatum eius defert munera et ad nautam Orci, qui τὸν ἐς ’Αίδα μελαγχρῶτα πορθμὸν (Hecub. 1083) transportat umbras, *Homero, Pindaro, Aeschylo, Sophocli* incognitum, Charontem. Moribunda igitur Alcestis exclamat:

ὁρῶ δίκωπον ὁρῶ σκάφος
ἐν λίμνᾳ· νεκύων δὲ πορθμεὺς
ἔχων χεῖρ’ ἐπὶ κοντῷ Χάρων μ’

ἤδη καλεῖ· τί μέλλεις;
ἐπείγου· σὺ κατείργεις. τάδε τοί με
σπερχόμενος ταχύνει.

(Alc. 260 sqq.); Admetus si Orphei instructus esset canendi arte ab inferis se repetiturum coniugem confirmans dicit:

καί μ' οὔθ' ὁ Πλούτωνος κύων
οὔθ' οὑπὶ κώπῃ ψυχοπομπὸς ἂν Χάρων
ἔσχον, πρὶν εἰς φῶς σὸν καταστῆσαι βίον.

(ibid. 371 sqq.); chorus denique Alcestide defuncta cantat:

ἴστω δ' Ἀίδας ὁ μελαγχαίτας
θεός, ὅς τ' ἐπὶ κώπᾳ
πηδαλίῳ τε γέρων
νεκροπομπὸς ἵζει
πολὺ δὴ πολὺ δὴ γυναῖκ' ἀρίσταν
λίμναν Ἀχεροντίαν
πορεύσας ἐλάτᾳ δικώπῳ.

(ibid. 452 sqq.); eodemque pertinet, quod senes Thebani mortem imminere Herculis liberis ita reddunt:

τὰν δ' ἀνόστιμον τέκνων
Χάρωνος ἐπιμένει πλάτα
βίου κέλευθον.

(Herc. fur. 430). Hos praeter locos, e quibus et officium et expressa quaedam cogitatio portitoris inferni perspicue apparet, non commemoratur Charon apud *Euripidem.*

De Plutonis cane.

In *Homeri* Orco nullum fuisse locum cani liminis custodi supra (pag. 84 sq.) demonstrasse mihi videor cumque *Aeschylus* et *Pindarus* numquam eius faciant mentionem, *Sophocles* et *Euripides* canem ita commemorent, ut nomen non aperiant, conicere liceret et non multo ante tragicorum tempora umbris impositum esse custodem et Cerbero nomen ipsa eorum aetate ei inditum, nisi duobus Theogoniae Hesiodeae locis illius monstri inferorum exstaret descriptio. Quam dubitationem hoc modo censeo posse removeri. Alter enim locus, Theog. vss. 767 sqq., ubi legimus:

Ἔνθα θεοῦ χθονίου πρόσθεν δόμοι ἠχήεντες,
ἰφθίμου τ' Ἀίδεω καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείας,
ἑστᾶσιν, δεινὸς δὲ κύων προπάροιθε φυλάσσει,
νηλειής, τέχνην δὲ κακὴν ἔχει· ἐς μὲν ἰόντας
σαίνει ὁμῶς οὐρῇ τε καὶ οὔασιν ἀμφοτέροισιν,
ἐξελθεῖν δ' οὐκ αὖτις ἐᾷ πάλιν, ἀλλὰ δοκεύων
ἐσθίει ὅν κε λάβῃσι πυλέων ἔκτοσθεν ἰόντα.

ea Theogoniae parte continetur, cuius originem propter rerum versuumque confusionem ac perturbationem viri docti aliis alia coniectantibus uno tamen consensu *Hesiodo* abiudicant (cf. Godofr. *Hermanni* opusc. vol. VI. part. I. pag. 183 sq. vol. VIII. pag. 61; praeterea adnott. ad vss. 726—819 et 746—806 in *Goettling.* edit. III, cur. Flach. et *Flachii* „System der Hesiodeischen Kosmogonie" pag. 116 sq.), ita ut nihil impediat, quominus ad aetatem Hesiodea aliquanto recentiorem revocemus descriptionem Plutonis canis supra prolatam. De altero loco Theog. vs. 310 sqq.:

δεύτερον αὖτις ἔτικτεν ἀμήχανον, οὔτι φατειὸν
Κέρβερον, ὠμηστήν, Ἀίδεω κύνα χαλκεόφωνον,
πεντηκοντακέφαλον, ἀναιδέα τε κρατερόν τε,

esse addubitatum nescio. Verum non plane convenire apparet epitheta χαλκεόφωνον imprimisque ὠμηστήν inferorum cani inter umbras versanti, quem praeterea quinquaginta praeditum fuisse capitibus posteriorum testimoniis minime confirmatur. *Pausanias* autem (Ἑλλάδ. περιήγ. III, 25, 5) fragmentum servavit *Hecataei Milesii* [1]), quo draco olim fuisse narratur in promunturio Taenario immanis, qui propter morsus mortiferos vocaretur Plutonis canis; eum ab Hercule apportatum ad Eurystheum. Accedit, quod a Graecis varia monstra appellata esse canes inter omnes constat [2]). Quocirca haud scio an haec iam liceat conicere. Echidnam cum alia peperisse monstra fabulosa, Chimaeram, Sphingem, hydram Lernaeam, leonem Nemeaeum, Geryonis canem, tum Cerberum draconem, qui

---

[1]) frg. 346 collect. fragm. Hecat. Miles. ed. *Klausen.*

[2]) cf. Dav. *Ruhnkenii* epistol. crit. ad *Valckenar.* Lugd. Bat. 1749. I. pag. 58 sqq.

alicubi in terris morsibus venenatis tam multos in sedem Plutonis demitteret, ut eius monstrum vel canis diceretur. Hunc ab Hesiodo intellegi, quippe ad quem optime conveniant illa epitheta. Postea cum Orcus magis magisque frequentaretur canem quoque liminis custodem eo esse translatum; deinde eius cogitationem cum fabulosi illius Plutonis canis confusam, quo facto nomen a noto Plutonis monstro repetitum Orci cani Cerbero inditum [1]).

Ad tragicos si revertimur, a *Sophocle* Plutonis canis vocatur δεινῆς Ἐχίδνης θρέμμα (Trach. 1099), ἀνίκατος θήρ (Oed. Col. 1568), ἀδάματος φύλαξ παρ' Ἀίδᾳ (ibid. 1572), ὁ ὑπὸ χθονὸς Ἅιδου τρίκρανος σκύλαξ, ἀπρόσμαχον τέρας (Trach. 1098); ab *Euripide*: ὁ Πλούτωνος κύων (Alc. 371), ὁ τρισώματος κύων (Herc. fur. 24), ὁ τρίκρανος θήρ (ibid. 610), Ἅιδου πυλωρὸς κύων τρίκρανος (ibid. 1264). Hesiodea igitur epitheta tragici ignorant omnia.

Comparatis iam *Homeri* et tragicorum Graecorum opinionibus de ipsa mortuorum condicione, de Orci natura, de ceteris Orci incolis superest, ut ostendam, iusta funebria et aetate Homerica et *Aeschyli, Sophoclis, Euripidis* temporibus iis quas excussi de inferis opinionibus plane perfecteque respondere. Sed cum plurimum valeat in hac re tanta aliorum antiquitatis testimoniorum multitudo, ut fieri non possit quin diligentior atque subtilior copiosae illius materiae tractatio extra fines huius commentationis egrediatur, levior autem ac minus scrupulosa parum prosit rei, alio loco alioque tempore hanc adire quaestionem constitui.

[1]) Plutonis monstrum non Orci custodem Stesichorum tractasse puto illo carmine, quod inscriptum fuisse Cerberum apparet ex Polluc. Onomast. X 152, cf. Stesichor. frg. 11 in *Bergkii* ed. IV. poet. lyr. Graec. vol. III. Quod si conceditur non prius quam apud Aristophanem Orci custodis appellatio exstat „Cerberus“, cf. Aristoph. Ran. vs. 467. Pac. vs. 313.

Corrigenda.

pag.	16	v.	10	pro	ζυγφ·	l.	„ζυγῷ·“
-	-	-	25	-	φῶν	-	„φῶς“
-	-	-	26	-	ὅς	-	„ὃς“
-	17	-	33	-	τους	-	„τοὺς“
-	65	-	1	-	οι	-	„οἵ“
-	74	-	6	-	σποδῶ·	-	„σποδῷ·“
-	78	-	4	-	’Αΐδόσδε	-	„Ἄϊδόσδε“
-	81	-	14	-	εἰσαφίκεσθαι	-	„εἰσαφικέσθαι“.

Praeterea pag. 87 v. 4 pro „Mors filia“ legendum „Thanatus deus filius“ et pag. 90 v. 23 pro „Mors“ „Thanatus“.